G. M. CARD. VAN ROSSUM

DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS

247.72
R839

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS

DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA

AUCTORE

G. M. CARD. VAN ROSSUM

C. SS. R.

#30744

247.72
R839
C. 2

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 16,518

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIV

ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

Franciscus Can. Faberj, Vicariatus Urbis Adsessor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

INTRODUCTIO

1. - Gravissima simul ac difficillima est quaestio, quae a pluribus saeculis inter doctos agitatur de essentia Sacramenti Ordinis.

Gravissima quaestio, a valore enim sacrae Ordinationis, sacerdotii imprimis et episcopatus, valor pendet plerorumque aliorum Sacramentorum ac proinde ipsa ecclesiasticae societatis existentia et aeterna animarum salus.

Difficillima quaestio, tum ob singularem sententiarum diversitatem a summis viris hinc inde strenuissime defensarum, tum ob innumeras difficultates in singulis sententiis occurrentes, quae videntur indissolubiles.

2. - Nihilominus optatissima esset gravis quaestionis solutio. Ex sexcentis enim quae circumferuntur opinationum probabilitatibus circa requisita ad valorem sacrae Ordinationis innumerae oriuntur sacrorum Antistitum anxietates et dubia, innumerae pariter dubitationes animique angores sacerdotum circa propriam ordinationem, innumerae consequenter quaestiones et dubia S. Sedi oblata. In Sacramentorum enim administratione probabilibus opinionibus procedi non potest, atque hoc praesertim ubi agitur de Sacramento, a quo fere omnia caetera Sacramenta dependent.

3. - Propterea operae pretium esse duxi ac gratum omnibus laborem si me accingerem ad hanc tantae magnitudinis ac difficultatis quaestionem funditus et ab ovo, ut aïunt, plenissime et accuratissime tractandam atque excutiendam.

Laborem hunc eo maiori alacritate suscepi quod plurima iam adsunt, quae felicem successum augurantur. Quae enim saeculis scholasticorum aut ignota aut parum cognita, aut certe non suo pretio aestimata erant antiquorum rituum monumenta et ecclesiarum orientalium libri rituales, decursu temporis ad lucem adducta, examinata et suo vero momento ponderata plures falsas opiniones et dubia paulatim dissiparunt. Errores saeculi XVI circa existentiam, naturam ac numerum Sacramentorum defensores catholicae veritatis coegerunt ad invocandam atque in medium proferendam perpetuam Ecclesiae traditionem. Ita antiquae atque primaevae tam occidentalis quam orientalis Ecclesiae doctrinae, usus ac ritus Sacramentorum magna sedulitate in omnibus suis fontibus quaesita, examinata et prolata sunt atque hac ratione sensim et sine sensu factum est, ut clariori semper in luce poneretur quid in Sacramentis a Christi Domini institutione, quid vero decursu temporis ab Ecclesiae ordinatione venerit. Quaestio inde de sacrae Ordinationis ritu essentiali magis ac magis a doctissimis viris ex omni parte considerata, disputata, dilucidata est, eo quidem exitu ut non pauci errores, qui plurimos aliquando habuerant sequaces, sensim ac pedetentim derelicti sint; ut multae difficultates, quae aliquorum mentes detinebant, discussae ac dissipatae fuerint; ut auctores etiam in hac quaestione paulatim ad unitatem consensus accesserint. Atque inde spes affulget ut accurata totius quaestionis tractatio ultimas dissipet obscuritates.

4. - Sunt qui putarint Ecclesiam quaestionem de sacrae Ordinationis essentia simplicissima et facillima ratione dirimere posse. Qui quidem hunc in modum ratiocinantur:

« Est factum historicum, de quo controversia nulla esse potest, Ecclesiam occidentalem per multa saecula unico ritu impositionis manus et orationis sacramentum Ordinis contulisse.

Hoc posito, ad dicendum hodiernos essentiales ritus diversos esse ab antiquis, asserendum necessario est: 1) Ecclesiam habere potestatem mutandi substantialem ritum Sacramenti; 2) Ecclesiam hac sua potestate usam esse.

Sunt qui hanc potestatem Ecclesiae omnino negent, affirmentque nostra aetate non aliter quam praeterlapsis saeculis sacram ordinis potestatem conferri sola manus impositione et oratione.

Sunt qui affirment hanc Ecclesiae potestatem. Hi tamen omnes necessaria consequentia admittere debent, Ecclesiam etiam nunc posse quod aliquando potuit, hoc est etiam nunc mutare posse substantialia Sacramenti.

Hinc concludendum si nunc Ecclesia DECLARAT ET STATUIT ritus essentiales sacrae Ordinationis eosdem esse ac quos primis saeculis adhibuit, quaestio tota cum omnium satisfactione soluta esset.

Nam huiusmodi decretum aliis mera esset *declaratio* (DECLARAT), aliis vero esset vera *constitutio* (STATUIT), seu restitutio rerum *in statu quo ante* ».

5. - Ingeniosa profecto quaestionis solutio! Atvero infructuosa et omnino seponenda.

Primum quidem gratis asseritur factum illud historicum extra *omnem prorsus* controversiam esse, uti etiam ex tractatu patebit. Deinde non desunt auctores, qui etsi admittant Christum dedisse Ecclesiae potestatem in essentialia Sacramentorum, eam tamen omnino negent esse permanentem, sed iuri communi congruenter asserunt eam delegatam potestatem a Christo Ecclesiae factam, semel exercitam, esse exhaustam et iterum excerceri non posse. Insuper hoc agendi modo Ecclesia viam regiam desereret, quae ipsam decet, quamque semper in gravibus finiendis quaestionibus tenuit, atque obliqua quadam et ut ita dixerim subdola porta quaestionem effugeret magis quam finiret. Demum (et hoc solum sufficeret ad monstrandum propositam solutionem nullatenus admitti posse), si Ecclesia decretum conderet, quo non solum *declararet,* verum etiam STATUERET, ritum essentialem sacrae Ordinationis in sola manuum impositione et adiuncta oratione esse positum, implicite decerneret, *se hoc revera* STATUERE POSSE, ideoque potestatem habere in essentialia Sacramentorum. Hoc autem, ut infra fusius ostendetur, nequaquam admitti potest et contradicere videtur Concilio Tri-

dentino dicenti Ecclesiam posse quidem circa Sacramenta statuere, sed *salva eorum substantia* (*Sess. 21, cap. 2*).

6. - Itaque satius esse duxi quaestionem totam et ex integro scrutari, tractare ac discutere.

Propter rei summam gravitatem necessarium esse putavi si vere aliquid proficere velimus, omnia, quae quocumque modo ad quaestionem pertinent et ad eam dilucidandam concurrunt in propriis fontibus inspicere atque examinare. Hinc quascumque adducturus sum auctoritates, textus, locos seu simplices, ut dicunt, citationes, non ex aliis scriptoribus bona fide transcripsi, sed ipse ex propriis auctorum scriptis et authenticis documentis deprompsi, praeferens omittere ea quae ipse inspicere ac examinare non potui. Improbus sane labor, sed quem tanta quaestio maxime meretur.

7. - Notare adhuc iuvat in tota hac elucubratione abstractionem fieri a decretis Sacrarum Romanarum Congregationum. Non profecto quod non arbitror eis summam reverentiam, observantiam ac mentis quoque submissionem deberi; sed quia notum est omnibus decreta SS. Congregationum in praesenti materia casus spectare particulares *practice* solvendos, minime vero decisiones *doctrinales*. Consueverunt scilicet SS. RR. Congregationes in solvendis dubiis practicis liberas relinquere auctorum opinationes, viam tutiorem sequi ac proinde, ubi secundum auctorum sententias aliqua adest probabilitas defuisse aliquid Sacramento, praecipere ut *sub conditione* iteretur. Hinc in investigatione circa ritum essentialem sacramenti Ordinis omnino licitum est, imo satius, ad illas practicas solutiones casuum non attendere.

***

8. - Ut longinquum opus ordinatim procedat, illud in tres partes dividimus.

Primum dicetur *de variis auctorum opinionibus* ac de fundamentis et rationibus quibus innituntur.

Secundo diligenter *inquiretur veritas*, investigando in omnibus traditionis fontibus in quo signo Dominus Noster Iesus Christus hoc Sacramentum instituerit.

Tertio demum singulares quaedam *difficultates solventur* ac *conclusiones colligentur*.

PARS PRIMA.

Variae opiniones circa essentiam sacrae Ordinationis.

9. - Expositio diversarum opinionum circa ritum essentialem sacrae Ordinationis arida quidem videtur tractatio; suam tamen habet iucunditatem ac imprimis magnam utilitatem. Mirum enim quanta sagacitate speculatio mentis circa ritum essentialem sacrae Ordinationis diversa invenerit opinamenta, quantisque argutiis ac speciosis argumentis ea defenderit. Paucae quoque sunt quaestiones, ad quarum solutionem recta diversarum opinionum expositio adeo aperit viam eamque complanat et illuminat.

10. - Universaliter receptum est dicere, circa essentiam sacrae Ordinationis tres dari sententias: unam, quae eam sitam esse dicit in instrumentorum traditione; alteram, quae eam in sola impositione manuum reponit; tertiam, quae eam in utraque inveniri affirmat.

Haec tamen expositio, quantumvis facilis, erronea est, incompleta et fallax. Erronea, quia tertia quam ponit sententia duabus prioribus nequaquam componitur. Tertia enim sententia primam quidem ut partem suam admittit, sed secundam plane ac ex integro excludit. Nam secunda sententia ritum essentialem sacrae Ordinationis totum reponit in *prima* impositione manus, quae in Ordinatione fit ante instrumentorum porrectionem, quamque comitatur Pontificis oratio. Sed hanc impositionem tertia sententia prorsus a ritu essentiali ordinationis excludit, ac meram accidentalem habet caeremoniam, ab Ecclesia intro-

ductam. Dicit vero *ultimam* manus impositionem, quae fit in fine Missae, quamque comitantur verba imperativa Episcopi *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, etc.*, partem essentialem sacrae Ordinationis esse.

Incompletam quoque dico praefatam enumerationem, quia revera plures sunt sententiae, etiam non ultimi subsellii auctorum, quae ea non comprehenduntur.

Fallacem demum, quia facillimo conspectu mentem incantat, rectam videtur dare de re cogitationem, sicque causa est, ut plurimi hallucinentur et praeiudicata opinione concepta de vero sententiarum valore minus recte iudicent.

Itaque necesse est secundum rei veritatem scriptorum opinamenta exponere.

11. - In quo faciendo in antecessum animadvertimus nos in classificatione sententiarum imprimis attendisse ad auctorum opinionem circa essentialem ritum Ordinationis *sacerdotalis*, tum quia circa essentialia sacerdotalis Ordinationis praecipua agitatur controversia, tum quia auctores generatim sibi constant ita ut ex eorum sententia circa presbyteratum inferri ut plurimum possit, quid de episcopatu et de diaconatu sentiant, tum demum quia relatio seu enumeratio nimis prolixa, complicata atque confusa redderetur, nisi ad solam sacerdotalem Ordinationem restringeretur. Etenim non desunt auctores, qui sibi non constent et, licet e. g. presbyteratus essentiam in instrumentorum traditione collocent, episcopatus tamen vel diaconatus essentiam in manus impositione vel tam in instrumentorum porrectione quam in manus impositione reponant, vel etiam alias materias et formas afferant.

1ª Sententia.

12. - Prima sententia dicit unicum essentialem ritum sacerdotalis Ordinationis esse *instrumentorum traditionem. Materiam* proinde Sacramenti consistere affirmat in porrectione *patenae cum pane et calicis cum vino; formam* vero in verbis Pontificis: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque*

celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.

Reliqua omnia, etiam manus impositiones quascumque, ritus habet mere accidentales, ab Ecclesia introductas.

Ita censuerunt:

13. - Saeculo XIII: Gilbertus Torniacensis, Ord. Min. († 1270), *Tract. de officio episcopi, etc., cap. 33* (Biblioth. Max. vet. Patr. edit. Lugdun. tom. 25 pag. 412); B. Albertus Magnus († 1280), *in 4 Sent. dist. 24, art. 38.* In *Comment. in libr. de Eccles. Hierar. cap. 5* porrectionem instrumentorum non commemorat, sed postquam exposuit quomodo sola manus impositione Ordines conferebantur, subiungit: *Et hic erat ritus consecrationis in primitiva ecclesia.* Richardus de Mediavilla, Ord. Min. († 1300, sec. alios 1307), *in 4 Sent. dist. 24, art. 4, qu. 3.*

14. - Saec. XIV: Franciscus Mayron, Ord. Min. († 1327), *in 4 Sent. dist. 25, qu. 2;* Astesanus de Asta, Ord. Min. († 1330), *Summa Astensis lib. 6, tit. 4, art. 5 et 6,* sequitur Richardum a Mediav., attamen magis refert quam affirmat; Guido Rocherius (1333), *Manipul. Curator. 1, pars 1, cap. 4* (apud Iudoc. Coccio *Thesauri cathol. tom. 2, lib. 8, art, 1)*; Durandus de S. Porciano, O. P. († 1334), *in 4 Sent. dist. 24, qu. 3;* Raynerius de Pisis, O. P. († 1351), *Pantheologiae Summa De Ordinib. cap. 14.*

15. - Saec. XV: Capreolus, O. P. († 1432), *in 4 Sent. dist. 24, qu. 1, art. 3, ad 3^m arg. 1^ae concl. Scoti et ad 5^m 2^ae concl.;* Nicol. Plovius (fl. 1435), *Tract. sacerd. de sacr. Ord.;*[1] Alph. Tostatus († 1455), *in libr. Ruth cap. 4, qu. 70;* S. Antoninus, O. P. († 1459) *Summa pars 3, tit. 14, cap. 16, § 4;* Pelbartus Temesvar., Ord. Min. (fl. 1490), *Rosar. iuxta 4 Sent. libr. quadripart. tom. 4, verb. Ord. § 6;* Angelus de Clavasio, Ord. Min. († 1495), *Summa verb. Ordo I, n. 6 et 7;* Gabriel Biel († 1495), *Suppl. in 4 Sent.* (ed. a Wendelino Heimbach) *dist. 24, qu. 1, art. 1, § Dicitur ministerium.*

16. - Saec. XVI: Sylvester Prierias, O. P. († 1523), *Summa verb. Ord. II, n. 4;* Card. Caiet., O. P. († 1534), *Opusc. tom. 1,*

[1] *Secundum est materia: scil. unctio in sacerdotibus et tactus illorum quae sunt tangenda. Tertium est forma verborum.*

tract. 26 (edit. Lugd. 1575); Ioan. Maior († 1540), *in 4 Sent. dist. 24, qu. 1, Tertio notabis;* Franc. a Victoria, O. P. († 1546), *Summa Sacram. de sacr. Ord., n. 229 (al. 231);* Ioan. Viguerius Granat., O. P. (fl. 1550), *Instit. ad Christ. Theol. cap. 16, § 6 de sacr. Ord. vers. 1;* Card. Regin. Polus († 1558), *Reformatio Angliae decr. II* (apud Labbe-Collet Collect. Concil. *tom. 20, col. 1016*); Ruardus Tapper († 1559), *de sacram. Ord. art. 17, § De materia autem;* Dom. Soto, O. P. († 1560), *in 4 Sent. dist. 24, qu. 1, art. 4;* Clemens Molinianus (fl. 1562), *Cathol. Instit. Comp. de sacr. Ord. cap. 48 seq.;* Laurent. Petius de Colonia (fl. 1566), *Epit. Sacram. de Ord.;* Praepositus Mediolan. († 1570), *in Decret. dist. 22, cap. 9;* Mart. Ledesma, O. P. († 1574), *in 4 Sent. qu. 36, art. 5;* Mich. de Palacios Granat. (fl. 1576), *Disp. theol. in 4 libr. Sent. dist. 24, disp. 1;* Franc. Samarinus (fl. 1579), *Thesaurus Sacerd. pars 1, de Ord.* (ad litteram uti Plovius); Cosmas Philiarchus (fl. 1582), *Enchirid. sacerd. de sacr. Ord.;* Franc. Ovandus, Ord. Min. (fl. 1584), *Breviloq. in 4. libr. Mag. Sentent. dist. 24, prop. 11;* Hippolytus Helman, O. P., (fl. 1585), *Divinum compend. additionis ad 3am part. Summ. theol. qu. 34, art. 4 et 5* (Hieron. Teutonici, O. P.); Martin. Navarrus Azpilcueta († 1587), *Enchir. sive Man. Confess. cap. 22, n. 17; Consilia et Responsa in lib. decr. l. 1, Cons. 3;* Ios. Angles, Ord. Min. († 1587), *de Sacr. Ord. art. 1, dub. 1 et 4;* Barth. Ugolinus (fl. 1587), *de Sacram. N. L. de Ord. cap. 18 et 19;* Sebast. Cattaneus (fl. 1589), *Enchirid. Controv. tract. 3, cap. de Ord.;* Silv. Tintus (fl. 1590), *de Ord. Cler. qu. 5, art. 5;* Eman. Sa S. I. († 1596), *Aphorism. verb. Ordo.*

17. – Saec. XVII: Greg. de Valentia S. I. († 1603), *Disp. 9 de sacr. Ord. n. 4;* Lorichius († 1609), *Thes. verb. sacr. Ord. n. 4;* Estius († 1613) *in 4 Sent. dist. 24, n. 24;* Capponi a Porrecta, O. P. († 1614), *Elucid. form. in Addit. ad 3am part. qu. 34, art. 4 et 5;* Nugnus, O. P. († 1614), *in Addit. ad 3am part. qu. 37, art. 5;* Petrus de Ledesma, O. P. († 1616), *de sacr. Ord. cap. 3;* Ioan. Chapeauville († 1617), *Catech. Rom. Elucid. schol. pars 2, cap. 6, qu. 2;* Simon Maiolus (fl. 1619), *de Irreg. et can. Imped. lib. 4, cap. 1, n. 2;* Hieron. de Medicis, O. P.

(† 1622), *in Suppl. qu. 126, art. 4;* Henric. Villalobos, Ord. Min. († 1627), *Summa theol. tr. 11, diff. 4 et 5;* Petrus Posnanien., Ord. Min. (fl. 1629), *Decis. lib. 6, cap. 10;* Zachar. Boverius Capuc. († 1638), *Censura paraen. pars 2, in lib. 2, cap. 4;* Mich. Zanardus, O. P. († 1642), *Direct. theol. de sacr. Ord. cap. 2;* Domin. Gravina, O. P. († 1643), *Cathol. Praescript. lib. 4, praescript. 5, controv. 3, art. 2.*

18. - Gesualdus de Bonon. Capuc. († 1653), *de Sacram. tr. 31, cap. 3;* Vinc. Candidus, O. P. († 1654), *de Ord. disq. 4, art. 2, dub. 4 et 5;* Carol. Thomasius, Cler. Reg. († 1656), *in Suppl. Aphor. 34;* Carol. Malletus, Cist. († 1658), *Aurum. mor. theol. Mall. 22, Bract. 6;* Ioan. Bapt. De Lezana, Carm. († 1659), *Summa qu. verb. Ordo sacr. n. 3;* Anton. Bruodinus, Ord. Min. († 1664), *Oecodomia Column. 43, ass 4;* Ioan. de Alozza S. I. († 1666), *Flor. Summa verb. Ordo;* Matth. Ferchi, Min. Conv. († 1669), *Epitome in 4 Sent. dist. 24;* Petrus Labat, O. P. († 1670), *Theol. Schol. tr. 3, disp. 5, dub. 3;* Ambros. Lezdus de Belliquadro, O. P. († 1670), *Tract. de Sacram. pars. 5, qu. 2, art. 6 et 7;* Philip. a SS. Trin. Carm. († 1671), *de Sacram. disp. 2, dub. 4;* Gabriel a S. Vinc. Carm. († 1671), *Tract. de Sacram. VIII, disp. 1, qu. 5;* Aug. Gibbon, E. S. A. († 1676), *Spec. theol. tom. 5, tr. 4, disp. 26, dub. 1;* Hier. Franceschi Polit. Conv. (fl. 1677), *Theol. mor. de sacr. Ord. cap. 7, dub. 15;* Fagnanus († 1678), *in 1, cap. de Sacr. non iterand. n. 10;* Gonet, O. P. († 1681), *Clypeus Thom. de Ord. disp. 2, art. 3, § 1;* Ludov. Bancel, O. P. († 1685), *Brev. univ. theol. curs. pars 3, tr. 4, qu. 9, art. 3; Moral. div. Thom. verb. Ordo, qu. 5;* Pax Iordanus († 1690), *lib. 3, tit. 6, n. 456 seq.;* Raym. Capisucchius, O. P. († 1691), *Controv. theol. controv. 28, § 16;* Bonif. Grandi, O. P. († 1692), *in Suppl. Summae, qu. 34.*

19. - Saec. XVIII: Bonav. Bontempius, Min. Conv. († 1700), *Fasc. flor. mor. tr. 10, tit. 17:* Phil. Mar. Grossi, O. P. († 1704), *Tract. Theol. mor. tr. 26, qu. 1, art. 3;* Mart. Wigandt, O. P. († 1708), *Tribun. Confess. tr. 15, exam. 2, qu. 2;* Gormaz, S. I. († 1708), *Curs. Theol. tr. de Sacram. disp. 2, sect. 5;* Alex. Piny O. P. († 1709), *Summ. Angel. Compend. Suppl. qu. 34, art. 4*

et 5; Frid. Gavardus, E. S. A. († 1715), *Theol. exant. S. Aug. et Aeg. Columnae de Ord. qu. 1, art. 4, n. 13;* Clem. Piselli († 1715), *Tract. VII de Ord. cap. 1;* Barth. Durandus, Ord. Min. († 1720), *Clyp. Scot. Theol. de Sacram. tract. 4, disp. 2, qu. 3; Diss. eccl. lib. 4, cap. 27, n. 5;* Placid. Renz, O. S. B. († 1730), *Theol. specul. pars 12, disp. 7, qu. 2, art. 3, concl. 4;* Gabr. Mar. De Valenzuela, Barnab. (fl. 1730), *Univ. theol. mor. Compend. pars 1, cap. 16;* Vit. Pichler, S. I. († 1736), *in 1, tit. 16, n. 3;* Caiet. Lar. de Petio, Theat. († 1742), *Addit. ad Felic. Potest. Append. 41 disp. 5, n. 4;* Thom. Franc. Rotarius, Barnab. († 1748), *Appar. univ. Theol. mor. pars 3, cap. 8, sect. 1;* Cherub. Mayer, Ord. Min. († 1751), *Recoll. mor. pars 2; Recoll. 1. sect. 2, qu. 4;* Fulgent. Cuniliati, O. P. († 1759), *Univ. Theol. Mor. tr. 14, cap. 6, § 1;* Petr. Alc. a S. Petronio, Carm. († 1774), *Doctr. mor. tract. 27, qu. 4.*

20. - Saec. XIX: Post medium saeculum decimum octavum haec prima sententia, ut ex allatis videre est, propugnatores amplius fere non habuit. Saeculo vero decimo nono eam plane derelictam inveni. Unus, quem reperi ei adhuc assentire obscuri nominis est auctor Placidus Zurla, Camald. († 1834), *Enchiridion dogm. de Sacram. Suppl. qu. 34.* - Nostra aetate a nullo amplius propugnatur vel etiam simpliciter asseritur.

***

21. - Antequam ad secundam transeamus opinionem, summae utilitatis est huic nostrae quaestioni videre, quibus rationibus auctores ducti fuerint ad primam hanc opinionem adstruendam quibusque argumentis eam defendant. Atque hic mirum sane est atque incredibile videtur, apud plurimos auctores, saeculi praesertim xv, aliud non inveniri quam meram *enuntiationem* huius opinionis. Eam edicunt acsi esset veritas quaedam per se evidens et ab omnibus admissa, neque alias sententias commemorant. Hinc neque argumentum ullum adducunt vel probationem aut auctoritatem ullam. Quaestionem seu controversiam ne cognovisse quidem videntur, licet tamen eorum quoque

aetate alii theologi, neque ultimi subsellii, gravibus rationibus aliam sententiam propugnarent. Quamvis ergo auctores praedicti nomen suum, subinde praeclarum, huic primae opinioni dederint, frustra apud ipsos quaeritur quod quaestionem illustrare possit. Ita e. g. *B. Albertus Magnus, Gilbertus Torniac., Capreolus, Reginaldus Polus, Viguerius Granat., Martinus Navarrus, Lorichius, etc.*

22. - Alii, duce *Richardo a Mediavilla*, sententiam propugnant principio quodam generali, quod evidens ac inconcussum habentes facillimam ac manifestam demonstrationem conficiebant. En quomodo Richardus illud enuntiet: « *Respondeo*, ait, « *hoc pro generali regula habendum est, quod in susceptione* « *illius exterioris signi imprimitur character in quolibet ordine*, « *in quo signo principalis potestas, quam respicit ille ordo*, « *significatur expressius* ».[1] Atqui nihil expressius significat potestatem sacerdotalem quam instrumentorum traditio cum verbis *Accipe potestatem, etc.* Ergo hoc signo character sacerdotalis imprimitur.

Hoc principium maiestate quadam sese imposuit ac innumerorum assensum e vestigio rapuit. Ita *Durandus a S. Porciano, Astesanus de Asta, S. Antoninus, Pelbartus Temesvar., Angelus de Clavasio, Gabriel Biel, Silvester, Ioan. Maior, etc.*

23. - Atvero enuntiatum principium falsum omnino est. Quum enim Christus Dominus solus sit Sacramentorum auctor, illius tantum signi susceptione gratia et character sacramentalis confertur, quod fuit a Christo in Sacramentum assumptum. Unde si Christus revera elegerit in signum sacramentale caeremoniam plus aliis figurantem, haec revera essentiam Sacramenti constituit; si vero alium ritum elegerit ad gratiam sacerdotii conferendam, hic necessario dicendus est essentia Sacramenti, etiamsi sit minus significans. Monstrandum itaque manet, ut enuntiatum principium aliquid efficiat, Christum Dominum caeremoniam aliis significantiorem elegisse; aliis verbis manet probandum, Dominum caeremoniam traditionis instrumentorum in signum

[1] *In lib. 4 Sent. dist. 24, art. 4, qu. 3, conclusio.*

sacramentale assumpsisse. De hoc rei capite ne cogitabant quidem auctores, eo vel minus, quod inde a saeculo XIII generatim bona fide putabant omnes sacrae Ordinationis caeremonias, quae in pontificalibus usualibus inveniebantur, iam usque ab apostolicis temporibus in usu fuisse Ecclesiae. Quod quam falsum sit infra abunde patebit.

24. - Alii cum *Francisco Mayron* provocant ad exemplum Christi, qui in ultima coena eodem ritu Apostolos suos sacerdotes ordinavit porrigendo ipsis corpus suum et sanguinem. « *Probatur*, aït Gonet, *ex Tridentino sess. 22, cap. 1, ubi Apo-* « *stolos* " tunc Novi Testamenti sacerdotes *constituisse Christus* « *dicitur, cum corpus et sanguinem suum* ut sumerent tradidit, « et iisdem ac eorum in sacerdotio successoribus ut offerrent « praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemora-* « *tionem*, ut Ecclesia semper intellexit „. *At horum verborum* « *loco in sacerdotis Ordinatione ponuntur haec: Accipe pote-* « *statem offerendi sacrificium, etc. Ergo per ista verba et per* « *calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, quae tunc* « *fit, cum proferuntur ab Episcopo, diaconi constituuntur sacer-* « *dotes, subindeque manuum impositio non est de essentia Ordi-* « *nationis sacerdotalis, sed sola instrumentorum traditio cum* « *forma verborum ipsi correspondente totam illius essentiam* « *constituit* ».[1]

25. - Argumentum hoc plus speciei quam roboris habet. Ut aliquid efficeret, primum probari deberet, verba *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, revera ex intentione ac praecepto Christi locum tenere verborum, quibus Ipse apostolos suos sacerdotes constituit, ac Dominum stabilivisse ut illis verbis una cum porrectione calicis cum vino et patenae cum pane sacerdotium N. L. conferretur. Nisi enim Dominus ipse hoc ordinaverit, dicta verba et actio sacerdotem constituere non possunt. - Sola porro materialis similitudo quaedam cum modo, quo Dominus in ultima coena apostolos suos sacerdotes creavit, non probat. Christus enim prae excellentia suae potestatis

[1] *Clypeus Thomist. de sacr. Ord. disp. 2, art. 3, § 1, n. 46.*

Sacramenta, seu rectius Sacramentorum effectus conferebat modo sibi beneplacito; apostolis vero suis et Ecclesiae constituit quibus signis exterioribus gratiae sacramentales conferendae essent. – Infra de eodem argumento sermo recurret.

26. – Alii, ut *Ruardus Tapper* (et hic primus, quantum invenire potui), *Fam. Ovandus*, *Mich. de Palacios*, *Ios. Angles*, *Vinc. Candidus*, *Gibbon*, *etc.*, argumenta non afferunt, sed ad solum provocant Decretum Eugenii IV pro Armenis. « *Secundum definitionem Concilii Florentini* », ita Ruardus Tapper.[1] « *Propter Concilii definitionem* », ita Ovandus.[2] « *Canonizata est* (materia Ordinis) *per Concilium Florentinum expresse... definita est expresse* (forma) *in Concilio Florentino* », ita Ios. Angles.[3] Similiter Seraph. Capponi a Porrecta, relata sententia Ioan. Tabiensis aliorumque affirmantium manuum impositionem ad ordinationis substantiam pertinere, « *errores illos*, dicit, « *merito damnari ab Eugenio IV, sacro approbante Concilio* « *Florentino in decreto Armenis dato de Sacramentis: Sextum* « *est Sacramentum Ordinis etc. presbyteratus traditur per cali-* « *cis cum vino et patenae cum pane porrectionem* ».[4]

Pariter Gonet, qui tamen alia quoque argumenta adducit. « *Probatur primo*, ait, *ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi* « *sic dicitur:* " Ordinis materia est illud per cuius traditionem « confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum « vino et patenae cum pane porrectionem „. *Et paulo post:* « "Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacri- « ficium „. *Quibus verbis Concilium pro materia presbyteratus* « *assignat tantum porrectionem calicis cum vino et patenae* « *cum pane. Ergo censet manuum impositionem nec totalem nec* « *partialem esse Ordinis sacerdotalis materiam* ».[5]

27. – Hoc argumentum validissimum videtur. Utique Decreto seu Instructioni Eugenii IV, in Concilio Florentino Armenis

1 *De sacr. Ord. art. 17, § de materia autem.*
2 *Breviloq. in 4 Sent. dist. 24, prop. 11.*
3 *Flores qu. in 4, de sacr. Ord. art. 1, dub. 1 et 4.*
4 *In Supplem. qu. 37, art. 5, Append.*
5 *Clypeus thom. de sacr. Ord. disp. 2, art. 3, § 1, num. 45.*

datae, nullus denegare potest gravissimam auctoritatem; immo, si probari posset Eugenium intendisse definire atque ex cathedra loqui, tota quaestio sine ulla appellatione dirempta esset, *omnibus* aliis amandatis opinionibus. Oportet ergo Eugenii Decretum omni diligentia et absque praeconceptis opinionibus examinare, ac sincera fide videre quid contineat et quam decernendi vim habeat. Quod quum hic sermonem nimis retardaret et confusionem pareret, ad aliam sedem remittimus.

28. - Unum tamen iam hic animadvertere volumus. Decretum Eugenii clarissimis verbis conceptum est, perspicue dicit materiam et formam sacrae Ordinationis consistere in traditione instrumentorum et verbis *accipe potestatem, etc.* ut rectissime animadvertit Gonet. Unde revera favet primae sententiae eique fortissimum est fulcimentum. Sed ei soli. Nam Eugenianum decretum aeque excludit omnes alias sententias, ut infra ubi ex instituto de eo agetur clare patebit. Errant omnino qui putent Decretum unice vel imprimis premere sententiam, quae dicit in sola manuum impositione essentiam Ordinis sitam esse. Premit aequaliter omnes alias sententias, quae praeter traditionem instrumentorum aliud ad essentiam Sacramenti requirunt. Utique multae excogitatae sunt Decreti Eugenii interpretationes ad illud accomodandum variis illis opinionibus, sed omnes illae quantumvis speciosae enodationes aliud non sunt quam effugia, quae veritatem offendunt. Omnes aliae opiniones praeter primam Decretum Eugenii verbis invocant, re deserunt. Alterutrum dicere necesse est: aut Instructio Eugenii decretoria est et necessario dicendum in sola traditione instrumentorum essentiam sacrae Ordinationis consistere; aut decretoria non est et illaesa conscientia sicut ex parte sic etiam ex toto negligi potest.

29. - Validius omnibus primam sententiam tuiti sunt *Fagnanus, Nugnus, Soto* et *Gonet*. Horum proinde praecipua saltem argumenta referre et breviter examinare oportet. Potissima argumenta cl. Gonet iam vidimus; en aliud, quod Fagnano, ut ipse dicit « *evidens* » videtur. Gregorius IX *lib. 1, tit. 11, cap. Presb. de Sacram. non iter.* dicit: « *Presbyter et diaconus cum*

« *ordinantur manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apo-*
« *stolis introducto) recipiunt; quod si omissum fuerit non est ali-*
« *quatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines*
« *conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prae-*
« *termissum. Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio*
« *super caput effunditur ordinandi* ». Atqui, ita ratiocinatur Fagnanus, « *si esset de essentia, non sufficeret supplere omis-*
« *sum, ut hic decidituir et in cap. 1 supra eodem; sed ordinatio*
« *ipsa esset ex integro iteranda* ».[1]

30. - In hoc argumentum *animadvertendum* 1) Auctores inter se dissentire de qua impositione manus Gregorius loquatur. Alii ut *Angelus de Clavasio, Pelbartus Temesv., Ioan. Maior, Nugnus, Gonet, Soto, etc.* Gregorium unice intelligunt de ultima manuum impositione, quae fit cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris, etc.* Sed hoc parum verisimile est; temporibus enim Gregorii IX, ut postea videbimus, vix nota erat haec caeremonia, coepebatque solummodo introduci.

Alii, uti *Innocentius IV, Abbas Antiquus, etc.* Gregorium intelligunt de prima manus impositione, quod sane verosimilius est.

Fagnanus ipse asserit Gregorium loqui tam de prima quam de ultima, imprimis tamen de ultima (quam Fagnanus impugnat). « *Nec dicatur,* inquit, *hunc textum esse intelligendum de*
« *prima impositione manuum praeparatoria ad ordinem susci-*
« *piendum, quam certum est non esse de essentia Ordinationis*
« *... nam etsi hoc verum sit quoad secundam partem textus, in*
« *qua dicit suspensionem manuum fieri debere cum oratio fun-*
« *ditur super caput ordinandi... tamen secus dicendum quoad*
« *primam partem textus, quia cum simpliciter et indefinite*
« *loquatur de impositione manus, debet simpliciter et indefinite*
« *intelligi tam de prima quam de secunda, quae fit ab Episcopo*
« *tantum post peractam ordinationem* ».[2]

31. - *Animadvertendum* 2) Admisso Gregorium loqui de prima manuum impositione, magna est quaestio quid obiective

[1] *In lib. 1, cap. de Sacr. non iter. n. 11.*

[2] *Ibid. n. 12.*

dixerit verbis: *non est iterandum, sed caute supplendum praetermissum,* atque an inde aliquid circa essentiam sacrae Ordinationis inferri possit.

Alii, imprimis Canonistae, uti *Innocentius IV, Abbas Antiquus, etc.,* dicunt Gregorium statuere solummodo supplendam esse impositionem omissam, quin tamen ullo modo inde inferant illam impositionem accidentalem tantum esse sacrae Ordinationi. Ab hac quaestione utpote dogmatica prorsus abstrahunt, et Gregorium abstrahere supponunt atque ad legis statutum solum attendunt.[1]

Alii, uti *Fagnanus, Hostiens.,* etc., affirmant, Gregorium ideo vetasse Sacramenti iterationem ac simplicem suppletionem praetermissae impositionis manuum mandasse quod eam reputabat caeremoniam accidentalem. Innituntur sensu, quem verba *non iterare sed supplere* in eorum concursu primo aspectu habere videntur.

Alii e contra dicunt, Gregorium ordinasse non esse iterandam Sacramenti administrationem (non enim iteratur quod factum non est) neque integram sacrae Ordinationis caeremoniam repetendam, ne scandalum populo daretur; praetermissam tamen manus impositionem, quam essentialem habebat sacrae Ordinationi, supplendam esse, sed *caute,* i. e. modo qui aliis dextere occultet errorem a Pontifice commissum.

32. - Atque haec interpretatio verior videtur. *Primum* quia ipse tenor canonis eam suadet. Dicit enim S. Pontifex « *statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos* » suppletionem fieri debere, quod sane innuit non de accidentali aliqua caeremonia sed de substantiali sermonem esse, quam extra tempus statutum habere non licet. Merito Tanner: « *Ipse canon,* inquit, « *supponit huiusmodi ordines, omissa manuum impositione,* « *revera non fuisse collatos, sed postea primum fuisse confe-* « *rendos* ».[2] - *Secundum,* quia aetate Gregorii locutio illa hunc et non alium sensum habebat. Paucis annis antea Innocentius III

[1] Conf. Carol. Gagliardus, *Instit. Iuris can. lib. 2, tit. 10 de sacr. Ord. num. 17.*

[2] *Theol. schol. tom. 4, disp. 7, qu. 2, dub. 3, n. 65.* - Cfr. Hallerius *de Sacram. elect. et ordin. p. 2, sect. 2, cap. 2, art. 1, § 12.*

eisdem verbis usus erat quum certe constet eum loqui de Sacramento nulliter collato. In *cap. Pastoralis* scilicet dicit: « *Praeterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem diaconatus*[1] *assumptus. Et si Confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat praetermissum* ».[2] Iamvero (ut taceam hic de diaconatu et de sola Confirmatione dicam) « *oleum simpliciter*, aït ipse Fagnanus, *non est materia Confirmationis, sed chrisma confectum ex oleo et balsamo, ut est definitum in Concilio Florentino* ».[3] Secundum ipsum ergo Fagnanum Confirmatio, de qua Innocentius, utpote collata sine materia, invalida fuit ideoque secundum Fagnanum non supplenda sed iteranda. Nihilominus declarat Innocentius III *nihil esse iterandum sed caute supplendum praetermissum*. Iamvero Gregorius loquendi modo ab Innocentio mutuato usus est. - *Tertium* confirmatur eo quod non raro eodem sensu strictissimo verbum *iterare* in sacris canonibus usurpatur, ita e. g. in *cap. 16 Solemnitates de consecr. dist. 1;* ibid. *dist. 4, can. 112* et 113; *cap. Veniens de presbyt. non bapt., etc.*

33. - Merito itaque Ferraris: Argumentum, quod desumitur ex cap. Presbyter, « *non valet*, inquit, *quia ibi Pontifex accepit verbum* itero *in propria sua significatione quatenus idem sonat ac iterum conferre idem specie Sacramentum iam semel rite collatum. Non autem iterum confertur quod nunquam rite fuit collatum ... Unde dicendum est Pontifices in dictis decretalibus cap.* Pastoralis *et cap.* Presbyter *solum velle nihil esse iterandum quoad ritus et caeremonias, sed caute, id est secrete*

[1] In Vulgata erronee legitur *subdiaconatus;* sed « *in duobus vetustioribus,* ut notat Glossa margin., *legitur:* diaconatus ». Ita communiter et est extra dubium; in subdiaconatu enim manus non imponuntur. - Confer. Innoc. IV, Hostiens., Barbosa, Gonzalez aliique *in h. l.*

[2] *Lib. 1 cap. de Sacram. non iter. cap. 1.* Mirum omnino quod Fagnanus hoc caput 1 pro sua opinione adducit.

[3] *In lib. 1, cap. de Sacram. non iterand. n. 30.*

« *et sine solemnitate ad vitandum scandalum supplendum esse* « *quod defuit, nempe essentiale Sacramenti, quod non dicitur* « *iterari per iura supra adducta, ut etiam explicat Iuenin.* « diss. 9, qu. 3, cap. 2 in respons. ad 4 obi. *dicens, laudatos* « *Pontifices ideo statuere ordinationem in proposito casu non* « *debere iterari quod supponant peractam non fuisse. Non enim* « *dicitur iterari, quod ne semel quidem peractum est* ». [1]

34. - *Animadvertendum 3*) exaggerandum non esse valorem alicuius capitis iuris ad quaestionem dogmaticam solvendam. Utique plurimum valent decretales, dummodo tamen eorum sensus omnino perspicuus sit; plerumque tamen non sufficiunt ad speculativam controversiam finiendam neque proinde dispensant ab omni ulteriori inquisitione. Ut plurimum enim Pontifices illis responsis practicis nequaquam intenderunt quaestionem altioris ordinis suprema auctoritate sua definire. Merito animadvertit Maldonatus, loquens de hoc cap. *Presbyter* « *non omnia* « *Pontificum responsa facere fidem catholicam, quia frequen-* « *tissime respondent illi tanquam doctores secuti vel suam, vel* « *communem opinionem* ». [2]

Ex dictis, ni fallor, certo probatum manet argumentum ex Gregorii decretali pro prima sententia deductum, ad minus admodum caducum esse.

35. - Instat adhuc Fagnanus: « *Idem,* aït, *probatur quia* « *manus impositio in ordinatione presbyteri et diaconi est* " ritus « ab Apostolis introductus „, *ut hic dicitur ... Ergo non est de* « *essentia, quia Sacramenta omnia, et consequenter etiam omnia* « *essentialia Sacramentorum a Christo immediate per se ipsum* « *instituta sunt, ut docet S. Thomas* ». [3]

Resp. Verba *ritus ab Apostolis introductus* non significant ritum ab Apostolis esse *institutum*, sed ritum, a Christo Domino stabilitum et institutum, ab Apostolis in praxim fuisse introductum, ut patet etiam ex Glossa marginali. Confer *Innoc. IV, Ioan. Andr., Gonzalez, Pirhing* aliosque Canonistas *in h. c.*

[1] *Bibliotheca verb. Ordo.*

[2] *De Sacram. tom. 2, de Ord. qu. 3.*

[3] *L. c. num. 13.*

36. - Aliud argumentum Fagnani non dissimile est argumento, seu potius assertioni supra a Richardo a Mediavilla propositae. « *Cum Sacramentum,* aït, *sit symbolum rei sacrae et « invisibilis gratiae forma visibilis seu signum visibile... et si- « gnum debeat habere similitudinem ad signatum... in quolibet « ordine illud exterius signum est essentiale et intrinsecum Sa- « cramento, in quo principalis actus illius ordinis designatur... « Sed impositione manuum non designatur principalis actus, « qui est consecrare corpus et sanguinem Christi... sed actus « secundarius, qui est absolvere et ligare... Ergo impositio « manuum non est essentialis et intrinseca ordinis presby- « teratus* ».

Confirmatur 1) quia fallax esset concessio potestatis si tunc non confertur quando dicitur: *Accipe potestatem;* 2) quia materia debet esse propria cuiusque Sacramenti; manus autem impositio communis est tum aliis Sacramentis, tum sacramentalibus. [1]

37. - *Animadvertendum:* Quum eadem res signis diversis significari possit, illius solius est signum statuere cuius est rem significare. Sed solius Christi est gratiam supernaturalem symbolo sensibili significare ac conferre. [2] Quum autem in sacra Ordinatione plures occurrant caeremoniae, quibus gratia seu potestas sacerdotalis significetur, puta manus impositio cum invocatione Spiritus Sancti, traditio instrumentorum sacrificii cum verbis *Accipe potestatem offerre sacrificium, etc.,* impositio manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata, etc.* - argui non potest ex simplici maiori vel minori significantia caeremoniae, sed quaerendum omnino est, quod signum Christus pro sacramento Ordinis statuerit.

Quod attinet ad minorem argumenti, verum est *ultimam* manus impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata, etc.,* non significare nisi potestatem secundariam sacerdotis. Unde argumentari inde potest, posito aliquam potestatem sacerdotalem illo ritu conferri, non dari

[1] *In lib. 1 cap. de Sacram. non iterand. num. 17.*

[2] Confr. S. Thomas *3, qu. 60, art. 5, ad 1.*

principalem sed secundariam; nequaquam vero *nullam* manus impositionem essentialem esse ac intrinsecam sacrae Ordinationi.

38. - *In confirmationem 1am* notandum, tunc solum falacem fore concessionem si in ritu Ordinationis, in quo haec caeremonia occurrit, potestas sacrificandi non daretur. Sed quum sacra Ordinatione revera potestas haec conferatur, nulla adest fallacia. Attendendum est, Ecclesiam progrediente aetate in sacramenti Ordinis sicut etiam in reliquorum Sacramentorum collatione ritus sacros evolvisse, uno semper ac intacto remanente signo sacramentali a Christo instituto. Caeremoniae autem illae ab Ecclesia inventae venerandae omnino sunt; efficaces quoque utpote Sponsae Christi, Ecclesiae; attamen gratiam sacramentalem non producunt.

39. - *In confirmationem 2am* animadvertendum, materiam cuiusque Sacramenti ideo ipsi propriam esse quia Dominus eam pro tali Sacramento elegit ac stabilivit, nequaquam vero quia materialiter differt ab aliorum Sacramentorum materia. Signum sacramentale unice pendet a voluntate Christi et nulla ratione probari vel praesumi potest Dominum voluisse signa sacramentalia ita discriminare ut etiam materialiter inter se differrent.

40. - *Arguere* pergit Fagnanus: Ecclesia universalis semper contulit sacerdotium instrumentorum traditione: ecclesia Latina uti patet ex antiquo Ordine Romano; ecclesia Graeca, nam Romani Pontifices saepe reformarunt ritus ecclesiae Graecae etiam in iis quae non sunt de substantia Sacramentorum; nunquam autem Graecis praeceperunt ut in ordinatione sacerdotali instrumenta traderent. Ergo evidens est Graecos semper instrumenta tradidisse. - Confirmatur ex opusculo Gabrielis Philad. Metrop. *De sanctis et de sacris Sacramentis,* in quo legitur: « *Materia sacrati Ordinis sanctus est panis et sanctorum vaso-* « *rum quantitas et caetera uniuscuiusque ordinis, ut refert* « *consuetudo* ». Ita Fagnanus.[1]

[1] *Lib. 1, cap unic. de Sacr. unct. num. 69 seq.* et *cap. Presbyt. de Sacr. non iter. num. 21.*

41. - *Notandum:* Hic revera a Fagnano recta via indicatur, qua sola in hoc difficili problemate perveniri potest ad inveniendam veritatem. Dolendum tantummodo quod ipse per eam ingressus non fuit. Si revera Ecclesia universalis sacerdotium semper contulit instrumentorum traditione, dubium esse non potest hanc revera esse Sacramenti signum. Atvero pro Ecclesia Latina hoc non probatur ex antiquo illo Ordine Romano, de quo Fagnanus. Incertissimae enim fidei est atque in hoc puncto certe deficit, ut infra clare patebit. - Quod ad Ecclesiam Graecam attinet, eam nunquam in ordinatione instrumenta adhibuisse factum historicum est, contra quod nullum valet ratiocinium. - Opusculum porro Gabrielis Philadelphiensis, anno 1600 Venetiis scriptum, scatet ubique indiligentiis et erroribus. Ipsa verba relata specimen aliquod sunt. Immediate ipsis subiungit: « *Forma vero est divina gratia, quae per impo-* « *sitionem manuum praesulis supra eum qui ordinatur de-* « *scendit et illum in perfectum sacerdotem ordinat* ».[1] In quo ergo, rogare licet, secundum ipsum essentia Ordinationis consistit? - Caeteroquin obscuri scriptoris testimonium nihil valet contra evidentiam rerum.

42. - *Prosequitur* Fagnanus: « *In Sacramentis habentibus* « *materiam corporalem, actus humani non sunt de essentia* « *Sacramentorum sed dispositive se habent ad Sacramenta.* « S. Thom. *in 3 p. qu. 84, art. 1, ad 1m: nam res sensibiles et* « *verba sunt de essentia Sacramenti, non autem facta... Sed* « *manus impositio est actus humanus, non autem res sensi-* « *bilis a facto distincta. Ergo non est de essentia sacramenti* « *Ordinis* ».[2]

43. - *Animadvertendum:* Argumentum aliud non est quam petitio principii. Etenim aut sensus est: In Sacramentis, quorum materia consistit in aliqua re sive obiecto materiali, actus humani non sunt de essentia. Atqui sacramenti Ordinis materia consistit in re corporali. Ergo actus humani, puta impositio ma-

[1] Opusculum Gabrielis Philadelphiensis invenitur apud Schelstrate *Acta Orientalis Ecclesiae*, pag. 253.

[2] *Lib. 1 cap. 3 Presbyter de Sacr. non iter. n. 18.*

nus, non sunt de essentia Ordinis. - Sic sumptum argumentum recte concludit; sed in minori, uti patet, petitur quod probandum est. - Aut sensus est: Sacramentorum materia a Christo instituta, non in actibus humanis, sed in re aliqua seu obiecto materiali consistit. Atqui impositio manus est actus quidam humanus. Ergo in ea materia sacramenti Ordinis sita esse non potest. - Ita positum iterum recte concludit argumentum, sed in maiori petitur quod monstrandum est.

44. - *Postremum arguitur:* « *Haec est opinio communis, a* « *qua non est temere recedendum* ». Ita Soto,[1] Fagnanus,[2] aliique ex supra citatis. *In hoc argumentum animadvertendum* est nimis omnino exaggeratum fuisse auctorum consensum in hanc sententiam. Omni aetate plurimi contradixerunt, ita ut longe absit ut unquam fuerit doctrina unanimis in Ecclesia, sicut aliqui leviter asseruerunt. Recensebimus hic diversas opiniones et auctores referemus, qui decursu saeculorum eas tenuere atque propugnarunt. Utique impossibile est omnes enumerare scriptores, eo magis quod, ut diximus, referre noluimus quos ipsi non inspeximus; ex altera tamen parte neque selegimus sive aetatis, sive sententiae, sive alius circumstantiae ratione. Prout auctores in manibus veniebant notavimus eorum opinationes; unde credimus hic recensitos satis indicare, quomodo diversis epochis theologi in hac quaestione senserint. Exinde autem luce clarius patet quantopere a veritate alienum sit asserere opinionem hanc fuisse communem in Ecclesia sententiam.

45. - Ut nunc discussa de hac prima sententia paucis resumamus dicendum: Plurimos illos, de quibus diximus, qui aliud non faciunt quam sententiam enuntiare, nullam afferentes rationem, eam parum vel nihil commendare, quum scriptorum auctoritas generatim maior non sit quam eorum ratio. - Neque alii multi, qui argumenta adducunt, quae valorem petiti principii non trascendunt, sententiam valde fulciunt. - Nec illi qui argumentis dimicant quae certo sunt dubii valoris, opinionem

[1] *In 4 Sent. dist. 24, qu. 1, art. 4.*

[2] *L. c. num. 31.*

valde roborant. - Neque perplurimi illi, qui rationibus potius speculationis scholasticae nituntur, opinionem vere promovent, quum solutio quaestionis nostrae non a speculativa ratione, sed ab obiectiva historia et Ecclesiae traditione repetenda sit. - Ex quibus inferri merito potest, primae huius sententiae valorem magnum non esse, eiusque auctoritatem, quantumvis primo aspectu magna appareat, revera maximopere reduci.

Unum decretum seu instructio Eugenii IV documentum ac fulcimentum est maximi valoris, ut diximus, quod omni attentione ac integra fide examinandum et ponderandum erit, ut suo loco faciemus.

46. - Aliqui ex laudatis auctoribus, uti *Nugnus, Vinc. Candidus, Gabriel a S. Vinc., Fagnanus, Gonet, etc.,* argumentis quibus defensores iamiam referendae secundae sententiae demonstrant absolutam necessitatem impositionis manuum (licet inepte inferant necessitatem *ultimae* impositionis) constricti, dixerunt manuum impositionem in sacra Ordinatione non esse quid mere accessorium, et propterea (!) *ultimam* manuum impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris, etc.,* habendam esse *complementum* Sacramenti, ac partem eius *integralem,* sicut satisfactio est pars integralis in Poenitentia, eamque extendere ac perficere characterem sacerdotalem *conferendo potestatem absolvendi.* Ex quibus patet auctores illos, quamvis verbis impugnent secundam opinionem, re tamen vera cum ea convenire. [1]

2ª Sententia.

47. - Secunda sententia docet, s. Ordinationem duos habere ritus essentiales. Sicut, ait, sacerdotium habet duas distinctas potestates: unam in corpus Christi verum, alteram in corpus

[1] Ita quoque Gabriel Biel materiam quidem statuit in sola instrumentorum traditione; de forma vero agens dicit: « *De forma Ordinationis sacerdotum probabile est « dicere, quod sint ibi duae formae partiales, in quarum una datur potestas consecrandi « Eucharistiam, in alia potestas absolvendi* ». *Supplem. in IV Sent. dist. 24, qu. 1, art. 1, § dicitur.*

Christi mysticum; ita quoque duo sunt ritus, quibus hae potestates conferuntur. Potestas in corpus Christi verum confertur *traditione calicis cum vino ac patenae cum hostia et verbis « Accipe potestatem offerre sacrificium », etc.* Potestas vero in corpus Christi mysticum communicatur *manus impositione cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata », etc.* In utroque ergo hoc ritu pars essentialis sacrae Ordinationis invenitur.

48. - In hac sententia fuerunt Saec. XIV Scotus († 1308) *in 4, dist. 24, qu. unica, art. 3;* Petrus de Palude, Doct. Paris., O. P. († 1342) *in 4, dist. 24, qu. 2, art. 3;* Ioannes Andreas († 1348) *in 1 lib. Decret. Novella Comm. cap. 3, Presbyter;* Thom. ab Argentina, Erem. S. Aug. († 1357) *in 4, dist. 24, qu. 1, art. 2 et 3, et dist. 2, qu. 1, art. 3.*

49. - Saec. XV: Antonius a Butrio († 1408) *Comment. super I^m part. Decret. de Sacram. non iter. cap. 3;* Ioan. Gerson, Doct. Paris. († 1429) *Reg. mor. de sacr. Ord. n. 159* (ed. Antverpiae 1706) (*in Compend. Theol. de sacr. Ord. nihil*); Silvius († 1449) *in Suppl. qu. 37, art. 2. qu. 4;* Nicol. de Orbellis, Ord. Min. († 1465) *in 4 Sent. dist. 24, qu. 1.*

50. - Saec. XVI: Nicol. de Niisse, Ord. Min. († 1509) *in 4 Sent. tract. 6, pars 3, de sacr. Ord. qu. 1;* Ioan. Altenstaig (fl. 1517) *Lexicon theol. verb. Ordo;* Iacob. Ungarelli, Ord. Min. († 1517) *Addition. in summ. Angel. verb. Ordo I, n. 6;* Ioan. Tabiensis, O. P. (fl. 1534) *Summa verb. Ordo n. II, 8;* Ambros. Catharinus, O. P. († 1543) *Qu. utrum rat. ord. an vero rat. iurisd. etc.;* Barth. Fumus, O. P. (1545) *Aurea Armilla verb. Ordo n. 5;* Beniam. Elbel, Ord. Min. († 1556) *Theol. mor. Sacr. pars 1, confer. 21, § 1, n. 16;* Mich. Medina, Ord. Min. († 1578) *de Sacr. hom. contin. lib. 1, cap. 21, 22 et 39;* Franc. Toletus, S. I. († 1596) *Instr. sacerd. tract. de sacr. Ord. cap. 2.*

51. - Saec. XVII: Greg. Sayrus, O. S. B. († 1602) *de Sacr. lib. 2, cap. 2, qu. 3, art. 1;* Vasquez, S. I. (1604) *in Summ. disp. 239, cap. 3, 4 et 5;* Thom. Sanchez, S. I. († 1610) *Consilia lib. 7, cap. 1, dub. 3;* Domit. Chamerota (fl. 1611) *Tract. theol. tr. 11 de Ord. cap. 3;* Card. Bellarminus S. I. († 1621)

de sacram. Ord. lib. 1, cap. 9; Filliucius, S. I. († 1622) *de sacram. Ord. cap. 2, n. 42;* Leon. Lessius, S. I. († 1623) *de sacram. Ord. Cap. 1, dub. 5 et 6;* Petrus de Ochagavia († 1624) *Breves tract. de Sacr. de sacr. Ord. tr. unic. qu. 5, num. 4 seq.*

52. - Gammacheus, Sorbonic. († 1625) *in 3am, de sacram. Ord. cap. 4 et 5;* Ioan. Praepos. Atrebat., S. I. († 1629) *de sacram. Ord. qu. unic. dub. 10;* Gulielm. Mercerus Lovaniens. († 1630) *Supplem. qu. 34 de Ord. art. 4 et 5;* Bonacina († 1631) *de sacram. Ord. punct. 3;* Tanner, S. I. († 1632) *Disp. 7, qu. 2, dub. 4;* Aegid. de Coninck, S. I. († 1633) *Disp. 20, dub. 7;* Castro Palao, S. I. († 1633) *Tract. 27, punct. 4;* Phil. Marchini, Barnab. (fl. 1635) *Tract. de sacr. Ord. tr. 2, par. 8, cap. 5 et 6;* Layman, S. I. († 1635) *de sacr. Ord. cap. 5;* Luis. Turrianus, S. I. († 1635) *Summ. theol. mor. de Sacr. pars 2, cap. 73, dub. 8;* Ioan. Wiggers († 1639) *in Suppl. qu. 34, art. 4 et 5;* Ioan. Petit (fl. 1640) *Univ. Theol. pars sacr. tr. 6, lect. 95;* Ysambert, Sorbonic. († 1642) *in 3am de sacram. Ord. disp. 3, art. 3;* Petrus Anel. Persicus, S. I. († 1643) *de prim. ac praec. Sacerd. Off. lib. 1, cap. 1, dub. 2, n. 15 seq.;* Ioan. a S. Thoma, O. P. († 1644) *Comp. totius Doctr. Chr. pars 1, cap. 11;* Trullenchus († 1644) *lib. 6, dub. 2;* Ludov. Caspensis, Capuc. († 1647) *Curs. theol. tract. 27, disp. 3, sect. 2;* Augustin. Barbosa († 1649) *de Iure eccles. lib. 1, de presbyt. cap. 34;* Ioan. Polman († 1649) *Brev. theol. pars 3, num. 464.*

53. - Raf. Aversa, Cler. Reg. († 1657) *de Ord. qu. 2, sect. 8;* Franc. Hallier, Sorbonic. († 1659) *de sacr. Elect. et Ord. pars. 2, sect. 2, cap. 2, art. 1, § 10 et 14;* Marc. Abaudunius, Capuc. (fl. 1659) *Parad. theol. qu. 67, art. 3 et 4;* Hurtado, Cler. Reg. († 1659) *Tract. de Ord. diff. 11;* Ioan. Poncius, Ord. Min. († 1660) *de sacram. Ord. disp. 48, qu. 2;* Georg. Rhodes, S. I. († 1661) *Disp. theol. tr. 12, sect. 4, § 3;* Salmanticenses Carm. *Theol. mor. de Sacram. tr. 8, cap. 3, punct. 5;* Petrus a S. Iosepho, Cist. († 1662) *Idea theol. sacr. lib. 4, cap. 1, resol. 3;* Leander, O. SS. Trin. († 1663) *Tract. 6, disp. 3, qu. 6 et 7;* Bern. Vetweis, Ord. Min. († 1664) *Spec. verae Eccl. lib. 19, cap. 2, art. 3;* Ludov. Maeratius, S. I. († 1664) *Disp. in Summ. tract. de Ord.*

disp. 7, sect. 1; Steph. a S. Paulo, Carm. (fl. 1664) *Theol. mor. tr. 5, disp. 7, dub. 1, num. 5;* Sfortia Pallavicinus, S. I. († 1667) *de univ. Theol. lib. 9, n. 158;* Herm. Busembaum, S. I. († 1668) *Medulla theol. mor. lib. 6, tract. 5, cap. 2, dub. 1;* Ludov. Bail Abbav. († 1669) *de trip. Exam. Ord. Exam. presbyt. pars 1;* Escobar, S. I. († 1669) *lib. 23, sect. 1, cap. 2 et sect. 2, cap. 9; Sangallensis Cursus Theol.* (1670) *tom. 10, tract. 3, qu. 1, dub. 3;* Bonav. Theulus, Ord. Min. († 1670) *Scotus mor. tit. 15, n. 6 et 7;* Elig. Bassaeus, Capuc. († 1670) *Flores totius Theol. verb. Ordo II, num. 3;* Gonzalez († 1673) *in lib. 1, tit. 16, cap. 3, n. 6 et 8 seq.;* Ludov. Engel. O. S. B. († 1674) *in lib. 1, tit. 16, n. 5.*

54. - Iac. Pignatelli († 1675) *tom. 1, Cons. 121;* Tamburin., S. I. († 1675) *de Sacram. lib. 7, cap. 5;* Mastrius de Medula, Ord. Min. († 1676) *in 4 sent. disp. 4, qu. 3, art. 2; Theol. mor. disp. 19, art. 2;* Franc. Bonae Spei, Carm. († 1677) *Comment. tr. 7, disp. unic. dub. 2, resol. 3;* Ant. a Sp. S. Carm. († 1677) *Direct. Conf. tr. 9, disp. 2, sect. 2, n. 29;* Gul. Henrincx, Ord. Min. († 1677) *Summ. theol. pars. 4, tr. 4, disp. 10;* Henr. Pirhing, S. I. († 1679) *in libr. 1, tit. 16, n. 5;* Bruno Neusser, Ord. Min. (fl. 1679) *Absol. Polyanth. disp. 108, qu. 8, n. 29 seq;* Iac. Platelius, S. I. († 1681) *Curs. theol. tom. 7, cap. 3, § 2, n. 507 et 508;* Ioan. Gabr. Boyvin, Ord. Min. (fl. 1682) *Theol. Scoti pars 3, cap. 11, qu. 4;* Sporer, Ord. Min. († 1683) *Theol. sacr. pars 2, cap. 1;* Cabassut., Orat. († 1685) *Notitia eccl. saec. IV, Disp. et App. ad Conc. Carth. IV, num. 4 seq;* Alex. Madernus, Barnab. († 1685) *Qq. in 3am D. Thom. tract. 2, qu. 1, art. 10, num. 7;* Ioan. Bapt. Taberna, S. I. († 1686) *Synops. Theol. pract. tr. 6, cap. 2, qu. 3;* Dom. a SS. Trin., Carm. († 1687) *Biblioth. theol. lib. 4, sect. 11, cap. 74;* Sylv. Maurus, S. I. († 1687) *Opus theol. lib. 13, tr. 29, qu. 266, n. 7 seq.;* Didac. de Avendano, S. I. († 1688) *Recogn. theol. tom. 2, de sacr. Ord. § 6;* Gervas. Brisacens. Capuc. (fl. 1690) *Curs. theol. pars 3, tr. 4, disp. 2, art. 5;* Sebast. Giribaldi, Barnab. (fl. 1690) *Op. mor. pars 3, tr. 9, cap. 2, dub. 7;* Anton. Gavellus, Ord. Min. (fl. 1690) *Brev. univ. Theol. tr. 4, disp. 1, qu. 1;* Abelly († 1691) *Instit. theol. cap. 7 de sacr. Ord. sect. 2;* Martin. Grandin, Sorbonic. († 1691)

Disp. 1, qu. 4, sect. 1, concl. 2; Branc. de Laurea Min. Conv. († 1693) *in 4 sent. de Ord. disp. 6, art. 8, n. 164 et 168;* Illsung, S. I. († 1695) *tract. 6, disp. 8, art. 2, n. 28 seq.;* Ioan. Mar. Sbogar, Barnab. (fl. 1695) *Theol. radic. tr. 127, cap. 2, n. 26;* Leon. van Roy, E. S. A. († 1699) *Theol. mor. pars 4, tr. 3, cap. 3, qu. 1.*

55. - Saec. XVIII: Fulg. a Nativ. (fl. 1701) *Alphab. quodlib. verb. sacr. mai. ord. n. 35;* Iac. Boudart († 1702) *Man. theol. tom. 6, tr. 3, de sacr. Ord. qu. 5;* Franc. Genettus († 1703) *Theol. mor. tr. 8, cap. 5, qu. 3 et 4;* Reiffenstuel, Ord. Min. († 1703) *Theol. mor. tr. 14, dist. 12, qu. 2, n. 32;* Ildeph. Manrique (fl. 1706) *Univ. theol. mor. pars 2, cap. 8, § 2;* Wiestner, S. I. († 1709) *in lib. 1, tit. 16, n. 8 seq.;* Viva, S. I. († 1710) *Cursus theol. de sacr. qu. 7, art. 2, n. 5;* Frassen, Ord. Min. († 1711) *Scotus acad. de Ord. disp. 1, art. 2, § 7;* Felix Potestas Panorm., Ord. Min. († 1712) *Exam. Ordin. part. 1, n. 168 seq.;* Aug. Michel (fl. 1712) *Theol. can. mor. tr. 5, pars 2, punct. 2;* Henno, Ord. Min. († 1713) *de Ord. qu. 4, art. 1, concl. 2;* Lacroix, S. I. († 1714) *Theol. tr. 5 de sacr. Ord. cap. 2, n. 2130;* Cassian. a S. Elia, Carm. († 1714) *Arbor. omn. op. verb. Ordo § 4, n. 30;* Greg. Rosignolo, Barnab. († 1715) *Tract. de Ord. pars 2, qu. 8, art. 3, ass. 1 et 3;* Franc. Perrin, S. I. († 1716) *Manuale theol. pars 2, de Ord. cap. 3;* Car. Franc. de Varesio, Ord. Min. († 1718) *Prompt. scot. verb. Sacerd. mat. et form.;* Sebast. Dupasquier Min. Conv. (fl. 1720) *Summ. theol. Scot. tr. 17, disp. 2, qu. 1;* Leurenius, S. I. († 1723) *in lib. 1, tit. 16, qu. 622, n. 3;* Arach. a Cacciat. († 1726) *Summ. brev. univ. theol. cap. 29, n. 4.*

56. - Ludov. Babenstuber, O. S. B. († 1726) *Ethica supern. tr. 8, pars 5, disp. 11, art. 3;* Schmier, O. S. B. († 1728) *lib. 1, tr. 4, cap. 4, sect. 3, n. 85 et 96;* Aurel. Piette, E. S. A. († 1730) *Elucid. pars 6, cap. 4, qu. 9;* Petr. Catalanus, S. I. († 1732) *Univ. iur. corp. pars 3, qu. 8, cap. 3;* Schmalzgrueber, S. I. († 1735) *in 1, pars 3, tit. 11, n. 5;* Vit. Pichler, S. I. († 1736) *Theol. polem. pars 2, controv. 3, cap. 2, art. 6;* Roncaglia, C. M. D. († 1737) *de Sacram. tr. 8, cap. 8;* Leon. Iansen, O. P.

(† 1738) *Cas. 103, qu. 2;* Franc. Sabinus, Ord. Min. († 1742) *Lux mor. pars 2, tr. 53, qu. 3, seq.;* Gabr. Antoine, S. I. († 1743) *Theol. univ. tract. de sacr. Ord. qu. 7, § 2 et 3;* Carol. Franc. a Breno, Ord. Min. († 1745) *Manuale Miss. lib. 3, cap. 3, qu. 1 seq.;* Mazzotta, S. I. († 1746) *Disp. 6, cap. 1, § 1 et 2;* Holzman, Ord. Min. († 1748) *Tract. de extr. Unct. et Ord. disp. 2, cap. 1, art. 2;* Cresc. Krisper, *Ord. Min.* († 1749) *Theol. schol. scot. tr. 12, dist. 18, qu. unic.;* Paul. Hieron. a S. Helena (fl. 1749) *sacr. theol. mor. Medulla tr. 14, cap. 3, n. 103.*

57. - Billuart, O. P. († 1757) *de sacr. Ord. diss. 1, art. 3;* Strugll, Serv. B. M. V. († 1760) *Tract. 9, de Sacr. qu. 3, art. 2, n. 23;* Ferraris, Ord. Min. († 1760) *Biblioth. verb. Ordo n. 48;* Reuter, S. I. († 1762) *Theol. mor. pars 4, tr. 7, cap. 2;* Ios. Anton., Capuc. (fl. 1767) *Theol. mor. pars 2, tr. 5, qu. 2, qu. 4;* Barth. del Valle, Carm. (fl. 1767) *Compend. theol. mor. pars 2, tr. 2, qu. 4;* Car. Sardagna, S. I. († 1775) *Theol. dogm. polem. tom. 7, de sacr. Ord. qu. 7, n. 1551;* Petr. Dens († 1775) *Tract. theol. de Ord. § 4;* Carolus Gagliardus († 1778) *Instit. Iuris can. lib. 2, tit. 10, de sacram. Ord. cap. 17;* Voit, S. I. († 1780) *Theol. mor. de Sacram. n. 1085;* Fulgent. Bossaert, Capuc. († 1782) *Princ. Theol. mor. de Ord. qu. 4, § 3;* Andr. Sgambati, Ord. Min. (fl. 1782) *de theol. Instit. tom. 12, lib. 27, cap. 9;* Wirceburgenses (Holzclau † 1783) *de Ord. cap. 2, art. 8;* Franc. Xav. Alegrius († 1788) *Institut. theol. lib. 16, prop. 9.*

58. - Saec. XIX: Postremis decenniis saeculi XVIII haec sententia semper magis ac magis deserta fuit ac saeculo XIX fere ex toto ab omnibus derelicta est. Eam adhuc retentam inveni a Ioan. P. Moullet (fl. 1834) *Comp. Theol. mor. pars 2, de sacr. Ord. § 3;* Andr. Ios. Haehnlein (fl. 1855) *Princ. Theol. mor. lib. 4, tr. 7, art. 2 et 3;* Haine, Lovaniens. (1874) *Tract. de Ord. pars 2, qu. 24; Theol. Sacram. cap. 4, dub. 4.* Et nostra aetate cl. Lottini *Instit. dogm. spec. pars 3, cap. 65, n. 660 et 661* hanc opinionem adhuc sequi videtur.

59. - Relata sententia, consideremus breviter argumenta quibus defenditur.

I. *Instrumentorum porrectio cum verbis accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, absolute necessaria et essentialis sacrae Ordinationi adstruitur maxime ob *instructionem sive decretum Eugenii IV* pro Armenis. De hoc decreto, quod incessanter recurrit innumerosque retinuit auctores, ne traditionem instrumentorum caeremoniam dicerent accidentalem, infra, uti iam supra dictum est, ex professo atque pro viribus exhaurienter tractabimus.

60. - Adducuntur deinde fere eadem argumenta, quibus primae sententiae defensores porrectionem instrumentorum propugnant; necesse ergo non est in eis immorari. Iuvat tamen *praecipuam* rationem referre, qua Vasquez, omnium strenuissimus ac tenacissimus huius secundae opinionis propugnator, hanc primam partem se *demonstrare* opinatur. « *Cum Sacra-* « *menta*, aït, *efficiant id quod significant et per eam materiam* « *et formam* (h. e. per instrumentorum traditionem et verba « accipe potestatem, etc.) *denotetur potestas consecrandi et offe-* « *rendi corpus et sanguinem Christi, negari certe non potest* « *per illam conferri, praesertim cum paulo post omnes sacer-* « *dotes recens ordinati simul cum episcopo consecrent in eadem* « *missa et nulla caeremonia praecesserit per quam melius intel-* « *ligere possimus hanc potestatem sacerdotalem fuisse colla-* « *tam.*[1] *Quae sane ratio plane convincit per illam traditionem* « *ordinandos potestatem accepisse consecrandi* ».[2]

Revera incredibile videtur ut tanti nominis auctor in tam gravi materia talibus argutiis plane convinci potuerit. Tanta vis est praeconceptae opinionis!

61. - Aliud argumentum pro hac prima parte propugnatores huius secundae sententiae (sicut defensores primae) desumunt ex exemplo Christi in ultima coena. Sed quum illud argumentum ligetur cum argumento quo secunda pars sententiae probatur, coniunctim illud considerare oportet.

[1] Paulo scilicet antea Vasquez scripserat de prima impositione, « *quae fit ab episcopo et sacerdotibus simul ante traditionem calicis et patenae, nullus unquam dubitavit non esse materiam sacrae ordinationis* »! *in 3am disp. 239, cap. 3, num. 19.*

[2] *L. c. num. 23.*

II. Itaque *impositio manus cum verbis accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata remittuntur eis, etc.,* pariter ab auctoribus huius secundae sententiae asseritur absolute necessaria et essentialis sacrae Ordinationi.

Primum argumentum est: Sacerdotium ex Christi institutione binam continet potestatem: unam in corpus Christi verum, alteram in mysticum: unam *consecrandi,* alteram *absolvendi.* Christus autem non uno sed duobus distinctis actibus, non uno sed diversis temporibus apostolis suis has potestates contulit: eos sacerdotes ordinavit *ad consecrandum* in ultima coena, ut constat quoque ex Tridentino *Sess. 22, de Sacrificio Missae can. 2 et cap. 1;* eos vero sacerdotes constituit *ad absolvendum* post resurrectionem dicendo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.,* quod pariter constat ex Trid. *Sess. 14, cap. 5, 6 et 8.* Ergo eodem modo nunc sacerdotes ordinantur ad *consecrandum* porrectione panis et vini cum verbis *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.;* ad *absolvendum* impositione manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, etc.* « *ut sic Epi-* « *scopus,* aït Scotus, *concorditer agat summo Episcopo Christo,* « *qui ut dictum est, prius contulit potestatem apostolis tam con-* « *ficiendi quam absolvendi* ».[1] Et concludit Vasquez: « *Hinc ma-* « *nifeste conficitur, sacerdotibus, qui postea ordinantur, eisdem* « *verbis ac proinde impositione etiam manuum eamdem potesta-* « *tem conferri* ».[2]

62. – *Observandum* in hoc argumentum: Verum est sacerdotium binam dicere potestatem consecrandi et absolvendi; verum etiam, Christum diversis actis et diversis temporibus binam illam potestatem suis apostolis contulisse; verum adhuc, hoc ex Concilio Tridentino constare. Sed ex hisce nil aliud pro quaestione nostra legitime infertur nisi: ergo sacerdotio in se considerato non repugnat ut distinctis actibus ac momentis potestas consecrandi et absolvendi conferatur, sicut hoc fecit Dominus. Minime vero rerum concludi potest: ergo sacerdo-

[1] *In 4 Sent. dist. 24, qu. 1, art. 3.*

[2] *In 3am disp. 239, cap. 4.*

tales potestates duobus distinctis ritibus conferuntur. Etenim 1) quod monstratur esse *posse* non eo ipso monstratur *esse*. - 2) Exemplum Domini nihil probat; Christus enim non ligabatur signis sacramentalibus. Ipse prae sua excellentiae potestate Sacramenta, seu rectius Sacramentorum effectus conferebat modo sibi beneplacito. « *Ad excellentiam*, inquit S. Thomas, « *potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum Sacramen-* « *torum sine exteriori Sacramento conferre* ». [1] Ergo ex sola ratione agendi Domini nihil certo inferri potest. - 3) Quia, si ex Christi exemplo haec colligenda essent, pari iure dicendum foret, materiam Ordinationis non in traditione panis ac vini sed in *porrectione corporis ac sanguinis Domini,* [2] non in impositione manuum sed in *insufflatione* consistere. Christus enim in ultima coena non panem ac vinum sed corpus suum ac sanguinem discipulis porrexit, et post resurrectionem non imposuit manus apostolis, sed « *insufflavit et dixit eis: accipite, etc.* ». [3] - 4) Si hoc inferendum esset, certo certius semper et ubique sacramentum Ordinis hisce duobus ritibus collatum in Ecclesia fuisset. Atqui constat, sicuti infra monstrabitur, in Ecclesia graeca aliisque orientalibus nunquam neque unum neque alterum ritum adhibitum fuisse, in Ecclesia vero latina utrumque per plurima saecula plane ignotum exstitisse.

63. - Merum proinde effugium est id quod scribit Bellarminus: « *Neque cogimur credere,* inquit, *Dominum sine impo-* « *sitione manus Ordinationem apostolis contulisse. Nam etiamsi* « *scriptum non est per impositionem manuum ordinatos apo-* « *stolos a Christo, tamen neque scriptum est contrarium, et* « *multa fecit Dominus quae scripta non sunt* ». [4]

Mirum quod tantus vir haec scripserit. Profecto si aliunde, ex traditione videlicet probaretur Dominum manus imposuisse

[1] *Summa 3ª p. qu. 64, art. 3.*

[2] Notandum etiam Dominum solis verbis *Hoc facite in meam commemorationem* apostolos suos sacerdotes constituisse, ut constat ex Tridentino *Sess. 22 de Sacrif. Missae can. 2:* « *Si quis dixerit illis verbis* " Hoc facite in meam commemorationem „ *Christum non instituisse sacerdotes ... anathema sit* ».

[3] *Ioan. 20, 22.*

[4] *De sacram. Ord. lib. 1, cap. 2.*

apostolis quando eos sacerdotes creavit, hoc sustineretur licet Scriptura nihil dicat; sed sine ulla ex traditione probatione talia affirmare eo quod contrarium non est scriptum et quod multa fecit Dominus quae scripta non sunt, profecto virum doctum non decet.

64. - Nec magis valet quod asseverat Vasquez: « *Neque « obstat,* aït, *quod Ecclesia cum his verbis* (accipe Spiritum San- « ctum, quorum remiseris, etc.) *non coniungat insufflationem, « qua Christus usus est, sed manuum impositionem: nam in « materia Sacramentorum aliquid fuisse statutum pro tempore « sequenti, aliquid autem ipsum aut etiam apostolos suos pro « materia et forma sumpsisse indubitatum est: Christus enim « ordinavit sacerdotes ad consecrandum traditione sui corporis « et sanguinis consecrati et verbis, Luc. 22.* Hoc facite in meam « commemorationem. *Nunc autem episcopi traditione calicis « cum vino et aqua et patenae cum pane et verbis illis:* Accipe « potestatem offerendi sacrificium, etc., *ordinant* ».[1]

Haec alia non sunt quam effugia vel speciosae argutiae, excogitatae ad causam caducam sustinendam; roboris ad probandum vel refellendum nihil habent.

65. - *Secundum argumentum* est venerabilis Bellarmini: « *Utraque caeremonia,* aït (h. e. tam traditio instrumentorum « cum verbis *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, quam « impositio manuum cum formula *Accipe Spiritum Sanctum: « quorum remiseris peccata, etc.) non solum habetur in Pontifi- « cali et est in usu Ecclesiae, sed habetur etiam in antiquo Ordine « Romano* ».[2] Ergo semper fuit in usu. Atqui quod semper in usu fuit in administratione Sacramenti, hoc tanquam a Christo institutum retinendum est. Ergo.

66. - *Animadvertendum:* Verum quidem est utramque caeremoniam in hodierno Pontificali inveniri et nunc in usu esse Ecclesiae latinae; sed in eodem Pontificali et in eodem usu Ecclesiae latinae multae sunt caeremoniae, quae a nullo asseruntur ad essentiam Sacramenti pertinere. Non sufficit ergo ut

[1] *In 3am disp. 239, cap. 4.*

[2] *De sacram. Ord. lib. 1, cap. 9.*

nunc sint in Pontificali et in usu Ecclesiae, sed necessarium est monstrare utramque caeremoniam *semper* fuisse in Pontificalibus libris, *semper* in usu Ecclesiae.

67. - Neque hoc monstratur antiquo illo Ordine Romano, quem invocat Bellarminus. Nam 1) licet ordo ille habeat caeremoniam traditionis instrumentorum cum formula *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, omnino caret caeremonia impositionis manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata, etc.*[1] 2) Ordo ille vulgatus, ut infra videbimus, exiguum vel nullum valorem habet, neque ex eo aliquid in favorem antiquitatis sive unius sive alterius caeremoniae deduci potest, nisi recurratur ad alios Ordinis codices.

68. - *Tertium argumentum:* Concilium Tridentinum *Sess. 23 de sacram. Ord. can.* 4 anathema dicit ei qui dixerit « *per sacram* « *Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra* « *Episcopos dicere:* Accipe Spiritum Sanctum ». - « *Ubi Concilium*, inquit Bellarminus, *declarat tunc ordinari presbyteros et* « *tunc dari illis gratiam Spiritus Sancti, cum eis dicitur:* Accipe « Spiritum Sanctum. *At cum hoc dicitur manus imponuntur, ut* « *patet ex Pontificali et Ecclesiae consuetudine; ergo sentiebat* « *Concilium, illam impositionem manus esse de essentia* ».[2]

69. - *Animadvertendum:* Concilium nequaquam intendisse declarare quando quibusque verbis in sacra Ordinatione gratia conferatur ac character sacerdotalis imprimatur, clare patet tum ex articulis pro hac sessione examinandis datis theologis, tum ex ipsa discussione tam theologorum quam Patrum, tum ex scopo a Concilio sibi ipsi praefixo damnandi errores non definiendi quaestiones theologorum.[3] - Neque ex verbis ipsis deduci legitime potest hunc fuisse sensum Concilii. Nihil enim aliud dicit quam anathema ei qui asserat episcopum in Ordinatione frustra dicere Accipe Spiritum Sanctum *propterea quod* in sacra Ordinatione non datur Spiritus Sanctus. Hoc et nihil aliud Concilium declarat.

[1] Ordo ille reperitur in Biblioth. max. Patrum tom. 13, pag. 702.

[2] *De sacram. Ord. lib. 1, cap. 9.*

[3] Cfr. Theiner *Acta genuina* in hanc sess.

70. - *Quartum argumentum:* Ex Scriptura Sacra et ex perpetua atque universali Ecclesiae tam orientalis quam occidentalis traditione clarissime prodit, sacram Ordinationem nunquam sine manus impositione factam esse, eamque proinde necessario dicendam esse a Christo institutam signum sacramentale. « *Scripturae,* ait Bellarminus, *passim tradunt pro sym-* « *bolo externo Ordinationis manus impositionem* », et nisi haec dicatur essentialis, « *non possumus convincere haereticos, Ordi-* « *nationem esse Sacramentum proprie dictum, quia non possu-* « *mus in Scriptura demonstrare symbolum externum huius* « *Sacramenti... Idem probo ex traditione Pontificum et Conci-* « *liorum... quae passim affirmant manus impositione conferri* « *Ordines... Idem ex Patribus, etc.* ».[1] Ex altera parte constat ex decreto Eugenii IV pro Armenis porrectionem panis ac vini cum verbis *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.,* materiam et formam esse sacerdotii ac vere conferre potestatem consecrandi. Ex quibus sequitur impositionem manuum, quae essentialis est Ordinationi, esse non posse primam, quae fit ante instrumentorum traditionem; alioquin iam sacerdotes essent, antequam accepissent potestatem consecrandi. Ergo necessario dicendum essentialem impositionem manuum esse ultimam, quam comitantur verba *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, etc.* Ita passim defensores huius sententiae.

71. - *Observandum* circa hoc argumentum et ratiocinationem: 1) Prima propositio verissima est. Revera ex Scriptura et ex Traditione constat omnino, impositionem manuum ritum sacramentalem esse sacrae Ordinationis. Hoc infra, ubi universa traditionis documenta examinabimus, clarissime patebit. - Sed incredibile est quod Bellarminum (et tot alios praestantissimos theologos) effugit, hoc ipsum argumentum simul etiam atque eadem illa ineluctabili vi demonstrare non ultimam impositionem manuum cum forma imperativa *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata, etc.,* sed primam, quae fit cum oratione et invocatione Spiritus Sancti, essentialem esse Ordinationi. Impositionem illam manuum cum verbis *Accipe Spiritum*

[1] *L. c.*

Sanctum, etc., neque praxis Apostolorum novit neque decreta Pontificum et Conciliorum confirmarunt neque S. Patres et Scriptores sacri tradiderunt neque usus perpetuus vel unius solius ecclesiae retinuit.

72. - 2) Quod ad secundam propositionem attinet: *Ex decreto Eugenii constat potestatem sacerdotalem dari instrumentorum traditione,* observandum est, propositionem hanc nequaquam sustineri posse, sicut infra clare ostendetur. Constaret tantum, si decretum Eugenii revera esset decretum fidei. Sed hoc minime esse infra invicte probabitur. Quod qui nihilominus sustinere vellet, inevitabili consequentia admittere cogeretur, si tamen sincerae esset fidei, in *sola traditione* instrumentorum et verbis adiunctis inveniri totam Ordinationis essentiam; nam negari non potest, Eugenium non partem sed totam materiam et formam sacramenti Ordinis sicut aliorum Sacramentorum indicare voluisse.

Ex hisce satis elucet propositum argumentum sicut tot alia infirmum esse nec aliquid efficere.

73. - En quibus potissimum rationibus haec secunda sententia propugnata est. Dolendum sane quod plurimi, atque inter ipsos etiam summi viri, vinculis decreti Eugenii IV integre se extricare nescientes nimium speciosis ratiocinationibus attenderint nec satis dederint sanae criticae, cui in hac quaestione longe supra mentis speculationes primae competunt partes. - Quod valet etiam pro rata de defensoribus sequentium tertiae, quartae ac quintae sententiarum.

74. - Dolendum pariter quod alii plurimi antiquitatis ignorantia atque inquisitione defecerunt. Quodsi antiqua documenta, usum quoque Ecclesiae orientalis scrutassent melius, dubium non est quin ad longe diversas conclusiones venissent. Quod ut exemplo illustremus, adducere iuvat quae scribit Card. Caietanus: « *Secundum antiqua Pontificalia,* inquit, *impositio ma-*
« *nuum super diaconum non habet certam verborum formam,*
« *nisi orationem illam:* Emitte, quaesumus, in eos Spiritum
« Sanctum, etc., *quae secundum nova Pontificalia post imposi-*
« *tionem manuum dicenda est.* Datio autem *libri Evangeliorum*

« *certam habet formam verborum; sed tunc non imprimi cara-* « *cterem ex eo videtur quod antequam Evangelium aliquod* « *esset scriptum, diaconi ab Apostolis videntur ordinati non* « *dicendo* Accipe potestatem legendi Evangelium, *sed ut cre-* « *ditur per impositionem manuum* ». Exhortatur deinde Caietanus ad fidelem rubricarum Pontificalis observationem, et subiungit: « *Et si aliquid fuerit omissum eorum, quae ex novis* « *Pontificalibus sunt addita* (*puta quia non est datus subdia-* « *cono liber Epistolarum cum illis verbis* Accipe librum, etc.) « *non propterea suppleri oportet in alia Ordinatione huius-* « *modi omissum:* HUIUSMODI ENIM NOVA ADDITIO NON FACIT « LEGEM NOVAM ».[1] - Quid dixisset Caietanus si scivisset, Ecclesiam per multa saecula non solum diaconatum sed etiam presbyteratum sine instrumentorum traditione contulisse, ac ritus Ordinationis non adiunxisse nisi posterioribus saeculis impositionem manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum?*

75. - Non defuerunt tamen scriptores qui animadverterint impositionem manuum, quae secundum Sacram Scripturam ac universam traditionem ad essentiam sacerdotalis ordinationis pertinet, ex eisdem fontibus probari non esse illam, quae locum habet in fine ordinationis cum verbis imperativis *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, etc.,* sed aliam, illam scilicet, quae initio sacrae ordinationis cum oratione peragitur. Hanc proinde ad essentiam sacramenti Ordinis pertinere affirmarunt. Simul tamen, nescientes quomodo contra decretum Eugenii IV negare possent porrectionem instrumentorum necessariam esse, hanc pariter ad essentiam pertinere dixerunt. Atque ita nata est tertia opinio a praecedenti, ut patet, omnino diversa. De hac nunc dicendum est.

3ª Sententia.

76. - Tertia itaque sententia asserit ad sacram ordinationem duo necessario et essentialiter requiri, scilicet *primam impositionem* manuum cum *oratione* seu invocatione Spiritus Sancti et *traditionem instrumentorum* cum formula *Accipe potestatem*

[1] *Opusc. tom. 1, tract. 11, art. unic.*

offerendi etc. Impositionem manuum *primam*, quae nempe praecedit traditionem instrumentorum; non vero ultimam, ut vult secunda sententia, quum negari nequeat hanc ultimam posteriori tantum aetate introductam fuisse ab Ecclesia. *Traditionem instrumentorum*, quae essentiale complementum habendum est impositionis manuum eiusque ampliatio, evolutio ac quasi forma determinans et explicans ad quid manus impositae sunt. Ita ab aliquibus res explicatur. Secundum hanc igitur sententiam duplex habetur materia, quae tamen in unam coalescere censenda est: *impositio* manuum et *traditio* instrumentorum; duplex quoque forma, quae pariter tamquam una concipenda est: *invocatio Spiritus Sancti* et verba *Accipe potestatem offerre etc.*

77. - Saec. XVIII hanc sententiam propugnarunt *Collationes Andegavenses* (*Conférences d'Angers* redactae a M. Babin) *tom. 7. Collat. mensis Oct. 1709;* Liberius a Iesu, Carm. († 1719) *Controv. trac. 7, par. 1, disp. 2, controv. 2;* Gabriel seu Augustinus a Conegliano, Capuc. († 1756) *Theol. mor. de Sacr. tr. 10, qu. 2;* Ioan. Laur. Berti, E. S. A. († 1766) *de Theol. discipl. lib. 36, cap. 12;* Aug. Marconi, Min. Conv. (fl. 1769) *Theol. S. Aug. tom. 6, disp. 13, sect. 7, schol. gen.;* et in eam inclinat Gazzaniga O. P. († 1799) *Praelect. theol. diss.* 8 *de sacr. Ord. cap. 2, n. 27 seq.*

78. Saeculo elapso eam tenuere: Iosephus Segna († 1833) *Theol. mor. Compend. lib. 4, tract. 2, art. 6, cap. 1;* Aloys. Togni, Min. Infirm. († 1839) *Instruct. pro sacr. eccl. min. pars 1, cap. 7;* Dieringer († 1876) *Lehrb. der Kath. Dogm. 3 Abth., 2 Haupts. § 136* (qui insuper ad essentiam pertinere dicit unctionem manuum et vestium traditionem); Bonal. *Instit. theol. tract. de Ord. n. 30.*

79. - Nostra aetate sententiam hanc adhuc proponunt cl. Tanquerey *Synopsis theol. dogm. de Ordin. art. 2, num. 39;* cl. Ludov. Billot *de Ecclesiae Sacram. de Ord. thesis 30;* cl. Noldin *Theol. mor. de Ordin. num. 456.*

***

80. - Quod ad rationes attinet, quibus haec opinio commendatur:

Impositionem manus primam cum Spiritus Sancti invocatione essentialem affirmat, quia evidens est tam ex Scriptura sacra quam ex Patribus et universa Ecclesiae traditione sacramentum Ordinis semper fuisse hoc et non alio symbolo collatum. *Traditionem instrumentorum* cum formula: *Accipe potestatem offerendi etc.* essentialem esse asserit imprimis ob Decretum Eugenii IV pro Armenis, quod clare edicit traditionem panis ac vini materiam esse Sacramenti.

81. - *Animadvertendum* 1) Inexpugnabile revera est argumentum propositum ad probandum *primam* manuum impositionem esse essentialem Sacramento. Infra, ubi enucleate exponetur argumentum, clare hoc patebit.

2) Argumentum ex decreto Eugenii IV ad probandum traditionem instrumentorum pariter esse essentialem, minime concludit. Ipsi defensores huius opinionis (sicut et propugnatores praecedentis et sequentis sententiae) vim argumenti frangunt, quum in impositione quoque manuum essentiam sitam esse affirment, decretum vero clarissime in *sola* traditione instrumentorum et in formula *Accipe potestatem offerendi etc.* materiam et formam sacramenti Ordinis reponat. Quodsi putant sine peccato ex parte decreto contradicere licere, cur non posset relinqui ex integro sine culpa?

3) Compositio duarum illarum materiarum et formarum mira res est ac inverosimillimum videtur, Dominum Sacramentum ita instituisse: *a*) nam prima illa manuum impositione vel datur gratia sacerdotalis vel non: si primum, ad quid servit traditio instrumentorum nisi ad solemniorem explicationem gratiae datae? Sin alterum, quomodo essentialis dici potest? - Ob hanc rationem defensores prioris sententiae, erronee utique sed non illogice dixerunt, non primam sed ultimam manuum impositionem esse essentialem; - *b*) difficillime concipitur quomodo ex disparibus illis caeremoniis unum symbolum sacra-

mentale efficiatur: ex impositione manuum et ex traditione instrumentorum una materia: ex oratione atque ex formula *Accipe potestatem offerendi etc.* una forma; - *c*) hinc mens admittere refugit sine evidenti probatione, Dominum in hisce duabus caeremoniis simul sacramenti Ordinis signum constituisse, qui in omnibus aliis Sacramentis symbolum indicaverit simplex.

82. - Neque minor redditur difficultas dicendo Dominum Ecclesiae dedisse potestatem determinandi in specie materiam et formam sacramenti Ordinis. Nam ex Sacra Scriptura et traditione constat initio sine instrumentorum traditione sacram ordinis potestatem collatam esse: certum etiam est, hanc invocatam potestatem Ecclesiae traditam non ita concipi posse acsi Ecclesia semper haberet potestatem mutandi seu determinandi Sacramenti materiam et formam; certum quoque, per priora decem saecula instrumentorum traditionem adhibitam non fuisse; certum pariter in ritu orientali, quo tamen valide administratur sacramentum Ordinis, traditionem instrumentorum non haberi; certum denique, nullum existere documentum, quo constet Ecclesiam revera hac tam extraordinaria potestate mutandi essentialia Sacramenti usam esse.

4ª Sententia.

83. - Quarta sententia aliam tentavit viam conciliationis asserens, ad essentiam sacrae Ordinationis pertinere *tum* primam manus impositionem cum pontificis oratione, *tum* traditionem instrumentorum cum verbis *Accipe potestatem offerendi etc., tum* etiam ultimam impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum etc.*

Prima manus impositio et *oratio* cum *porrectione instrumentorum* et verbis adiunctis, secundum hanc sententiam unam efficit partialem materiam et formam Ordinationis, qua potestas datur in corpus Christi verum.

Ultima manus impositio altera est essentialis pars, qua confertur potestas in corpus Christi mysticum.

84. - Saec. XVII hanc sententiam propugnarunt: Card. Ioan. De Lugo, S. I. († 1660) *Disp. schol. de Sacr. in gen. disp. 2, sect. 5, n. 90 et 98;* Ioan. Martinon, S. I. († 1662) *Disp. theol. disp. 66, sect. 4. num. 43.*

85. - Saec. XVIII: Edm. Simmonet, S. I. († 1733) *Instit. theol. tr. 17, disp. 3, art. 2, § 2;* Card. Gotti, O. P. († 1742) *Theol. schol. dogm. de sacr. Ord. qu. 6, dub. 2, § 1;* Theologia Pictav. (1771) *Compend. Instit. tom. 5, de Ord. qu. 5;* Euseb. Amort, E. S. A. († 1775) *Theol. elect. tom. 3, de sacr. Ord. § 19* et *Theol. mor. tract. 14, de Ord. § 4, qu. 2.*

86. - Saec. XIX et nostra aetate: Theologia Tolosana *Instit. theol. tom. 4, tract. de Ord. cap. 5;* Franciscus Egger *Enchirid. theol. dogm. tract. 12, cap. 2, art. 2;* Ierem. Dalponte *Compend. theol. dogm. tract. 12 de Ord. cap. 2, n. 1016.*

87. - Rationes ob quas auctores huius sententiae *primam* impositionem manuum una cum traditione instrumentorum essentialem habeant, eaedem fere sunt ac quibus utitur praecedens sententia.

Prima impositio manuum essentialis habenda est ob evidentem Ecclesiae universalis traditionem.

Porrectio instrumentorum pariter essentialis dicenda ob Decretum Eugenii IV.

Utraque autem caeremonia unum partiale symbolum constituit, « *quia,* ut ait Card. Gotti, *sola manuum impositio non « determinat, ad quem actum det ei gratiam, eumque reddat « idoneum, ideo hoc per traditionem instrumentorum explicari « et determinari debet. Ex quo sequitur quod impositio manuum « praecedens traditionem instrumentorum, sit materia, seu de « substantia ordinationis dans gratiam ad actum per traditio- « nem instrumentorum designandum, in qua ordinatio ultimo « completur* ».[1]

Rationes, ob quas *ultimam* quoque *manuum impositionem* cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata etc.* necessariam ac essentialem habent sacrae Ordinationi

[1] *De sacr. Ord. qu. 6, dub. 2, § 3, n. 22.*

eaedem sunt ac quibus secunda sententia caeremoniam illam partialem essentiam Ordinationis esse asserit.

88. - *Animadvertendum:* quae dicta sunt supra de argumentis praecedentis ac secundae sententiae valent etiam hic.

1) Quod attinet ad primam partem: inconcussum utique atque inexpugnabile est argumentum in favorem primae impositionis manuum: incertum vero ac proinde inefficax argumentum, quo necessitas traditionis instrumentorum probatur.

2) Quod supra reprehensum est in disparium elementorum compositione ad unum efficiendum symbolum sacramentale hic pariter obtinet, eo vel magis quod ad partem tantum essentialem concurrere dicuntur.

3) Quod ad alteram demum partem attinet, necessitatem dico essentialem ultimae impositionis manuum, supra n. 61 seq. rationibus, quibus propugnatur, satisfactum est.

***

De sententia divi Thomae.

89. - Quum Angelicus Doctor alios Theologos omnes longe superet auctoritate, de eius in hac quaestione opinione aliquid speciatim dicere convenit. Certum est S. Thomam instrumentorum traditionem sacrae Ordinationi essentialem habuisse. In Opuscolo V *Tract. de articulis fidei et Sacramentis Ecclesiae,* ubi ex professo de singulorum Sacramentorum essentialibus agit, nullam aliam materiam et formam praeter instrumentorum traditionem et verba *Accipe potestatem* etc. agnoscit. Principia etiam generalia, quae ibi de Sacramentorum constitutivis exponit, et eorum applicatio ad sacramentum Ordinis, manuum impositionem ab huius essentia excludunt: « *Commune est* « *omnibus,* ait, *quod Sacramentum consistit in verbis et rebus* « CORPORALIBUS, *sicut in Christo, qui est Sacramentorum auctor,* « *est verbum caro factum. Et sicut caro Christi sanctificata est* « *et virtutem sanctificandi habet per verbum sibi unitum, ita et* « RES *Sacramentorum sanctificantur et vim sanctificandi habent* « *per verba, quae in eis proferuntur, unde Augustinus dicit*

« *super Ioan.*: Accedit verbum ad elementum et fit Sacra-
« mentum. *Unde verba quibus sanctificantur Sacramenta dicun-*
« *tur Sacramentorum formae:* RES *autem sanctificatae dicuntur*
« *Sacramentorum materiae, sicut aqua est materia baptismi et*
« *crisma confirmationis. Requiritur etiam in quolibet Sacra-*
« *mento persona ministri conferentis Sacramentum cum inten-*
« *tione conferendi et faciendi quod facit Ecclesia: quorum trium*
« *si aliquid desit, id est si non sit debita forma verborum, et si*
« *non sit debita materia, et si minister Sacramenti non intendit*
« *Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum ... His*
« *visis in communi circa Ecclesiae Sacramenta, oportet quae-*
« *dam in speciali de singulis dicere.... Sextum est sacramentum*
« *Ordinis ... Materia autem huius Sacramenti est illud mate-*
« *riale, per cuius traditionem confertur ordo: sicut* PRESBYTE-
« RATUS TRADITUR PER COLLATIONEM CALICIS *et quilibet ordo*
« *traditur per collationem illius rei quae praecipue pertinet ad*
« *ministerium illius ordinis. Forma autem huius Sacramenti*
« *est talis:* ACCIPE POTESTATEM OFFERENDI SACRIFICIUM IN ECCLE-
« SIA DEI PRO VIVIS ET MORTUIS, *et idem est dicendum in con-*
« *similibus ordinibus* ».

90. – Concinunt omnino quae docet in *Comm. in 4 Sent. dist. 24:* « *Episcopus*, ait, *in collatione ordinum duo facit:*
« PRAEPARAT *enim ordinandos ad ordinis susceptionem, et*
« ORDINIS POTESTATEM TRADIT. PRAEPARAT *quidem et instruendo*
« *eos de proprio officio, et aliquid circa eos operando ... quae*
« *quidem praeparatio in tribus consistit, scil. benedictione, ma-*
« *nus impositione et unctione ... Per manus impositionem datur*
« *plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei ...*
« *Unctione ad aliquod Sacramentum tractandum consecrantur ...*
« *Sed* POTESTATIS COLLATIO *fit per hoc quod datur eis aliquid*
« *quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus*
« *sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo*
« IN IPSA DATIONE CALICIS *sub forma verborum determinata,*
« CHARACTER SACERDOTALIS IMPRIMITUR ». [1]

[1] *Supplem. qu. 37, art. 5.*

Negari profecto non potest S. Doctorem docuisse sacerdotalem potestatem conferri traditione instrumentorum. Et hinc factum est ut longe maior pars sectatorum doctrinae S. Thomae primam sententiam amplexati sint.

91. - Nihilominus permulti discipuli Angelici Doctoris arbitrati sunt sibi non deesse loca in eius operibus, quae probent S. Magistrum manuum quoque impositionem essentialem habuisse sacrae Ordinationi. In tertia parte Summae quaestionem sibi ponens *utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad (poenitentiae) Sacramentum*, respondet: « *Impositio manuum in « Sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum « gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur quo- « dammodo per quamdam similitudinem continuantur mini- « stris, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus « impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur « plenitudo spiritus Sancti, et in sacramento Ordinis, in quo « confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis; « unde et 2 ad Timoth. 1, 6 dicitur:* Resuscites gratiam Dei « quae est in te per impositionem manuum mearum ».[1] Manuum ergo impositione secundum S. Thomam confertur gratia in Sacramentis. Et conformiter scribit agens de sacramento Ordinis: « *Per manus impositionem* (qua Episcopus praeparat « ordinandos ad ordinis susceptionem) *datur plenitudo gratiae, « per quam ad magna officia sint idonei* ».[2] In quae verba Cardinalis Gotti: « *Observet(ur)*, inquit, *velim, S. Thomam ibi dicere « primo quod per manus impositionem datur plenitudo gratiae,*

[1] *3, qu. 84, art. 4.*

[2] *Suppl. qu. 37, art. 5,* cfr. etiam *Comm. in 2 ad Timoth. 1, lect. 3.* et *in 1 ad Tim. 4, lect. 3.* et *cap. 5 lect. 3.* - Ad illustrandum quanta fuerit apud auctores notionum confusio et ex praeconcepta opinione oblivio et negligentia *primae* manus impositionis notare hic iuvat, Dom. Soto *in 4, dist. 24, qu. 1, art. 4,* Gonet *disp. 2, art. 3, § 2, n. 59 et 60* quae S. Thomas in allatis verbis evidenter dicit de prima manus impositione quae praecedit instrumentorum traditionem, intelligere dicta de *ultima* impositione. Unde mirabundus exclamat Soto: « *Quod autem div. Thomas ait prius « caracterem imprimi et postmodum gratiam conferri, intelligere non valeo. Neque « suspicor, quod in Summa, si hucusque pervenisset, illud affirmasset: nam gratia « non infunditur sacramentalis, nisi dum applicatur materia et forma Sacramenti, ubi « character imprimitur* ».

« *per quam ad magna officia sunt idonei: non ergo censet pri-*
« *mam illam impositionem esse caeremoniam accidentalem Ordi-*
« *nationi; non enim accidentale est Sacramento id, per quod in*
« *Sacramento datur gratia, et quo suscipiens fit idoneus ad*
« *actum Sacramenti. Sed quia sola manuum impositio non*
« *determinat, ad quem actum det ei gratiam eumque reddat*
« *idoneum, ideo hoc per traditionem instrumentorum explicari*
« *et determinari debet. Ex quo sequitur, quod impositio manuum*
« *praecedens traditionem instrumentorum, sit materia, seu de*
« *substantia ordinationis dans gratiam ad actum per traditio-*
« *nem instrumentorum designandam* ».[1]

92. - Ob parem rationem nonnullis videtur S. Doctor tenuisse ultimam quoque manus impositionem essentialem esse eaque conferri ordinando potestatem in corpus Christi mysticum. Ponit sibi difficultatem: « *Dominus dedit discipulis sacerdota-*
« *lem potestatem, quando dixit:* " Accipite Spiritum Sanctum:
« quorum remiseritis peccata, etc. „ *Ioan. 20, 22. Sed Spiritus*
« *Sanctus datur per manus impositionem: ergo et in ipsa ma-*
« *nus impositione imprimitur character Ordinis* ». Cui argumento respondet: « *Ad secundum dicendum quod Dominus*
« *discipulis dedit potestatem sacerdotalem, quantum ad princi-*
« *palem actum, ante passionem in coena, quando dixit:* " Ac-
« cipite et manducate „; *unde subjunxit:* " Hoc facite in meam
« commemorationem „, *Luc. 22, 19. Sed post resurrectionem*
« *dedit eis potestatem sacerdotalem, quantum ad actum secun-*
« *darium, qui est ligare et solvere* ».[2]

93. - En quae angelicus Thomas de essentia sacrae Ordinationis docet, et quae vel ipsos eius discipulos in diversas sententias abire faciunt.

Praetermissa controversia de vera S. Thomae sententia, hoc unum notare iuvat quod negari a nullo posse videtur, S. Doctorem speculatione mentis non historica disquisitione hanc quaestionem tractasse sicut tunc communiter fieri solebat ab auctoribus. Quae pontificalia tunc in usu circa Ordinis admi-

[1] *Qu. 6, dub. 2, § 3, n. 22.*
[2] *Supplem. qu. 37, art. 5 ad 2.*

nistrationem habebant, tamquam a primis temporibus incorrupte derivata communiter considerabantur; Sacramenti veritatem a nullo oppugnabatur, nec proinde vindicanda erat; controversia de Ordinis essentia minime ardebat; in omnibus Sacramentis materia materialis quaerebatur; ita facile evenit, ut vel summi viri in speculationes abierint, pulcherrimas utique in se, sed vi demonstrativa destitutas. Hic ante omnia quaerendum est quid Christus, unicus secundum ipsum divum Thomam Sacramentorum Auctor, instituerit, quod sane non a ratiocinio sed a traditione repetendum est.

5ª Sententia.

94. - Quinta sententia docet *totam* essentiam sacramenti Ordinis inveniri *tum* in ritu impositionis manuum cum adiuncta oratione Episcopi, *tum* etiam in ritu traditionis instrumentorum cum verbis *accipe potestatem offerendi sacrificium,* etc., ita ut *alterutro* ritu Sacramentum valide ministretur. Non itaque docet, sicut tertia sententia, essentiam Sacramenti *partim* in prima impositione manuum, *partim* in porrectione patenae cum pane et calicis cum vino sitam esse, sed asserit Sacramentum integrum ita in alterutra caeremonia inveniri ut qui sola traditione instrumentorum cum formula *accipe potestatem,* etc. ordinetur, verus sit sacerdos, sicut pariter plenam potestatem sacerdotalem habeat, qui sola prima manuum impositione atque oratione sacram Ordinationem acceperit. Quod quidem docent, opinantes, Christum ipsum sive duo sacramentalia signa pro hoc Sacramento instituisse ut Cotonio aliisque praeplacet, sive Ecclesiae suae potestatem reliquisse hoc faciendi, ut Amico aliisque videtur.

95. - Saec. xvii ita opinati sunt: Franciscus Amicus, S. I. († 1651) *Cursus theol. tom. 7, de Sacr. in genere disp. 2, sect. 4,* et *tom. 8, disp. 22, sect. 5;* Anton. Diana, Theat. († 1663) *Resol. mor. pars. 3, tr. 4, resol 187* et *pars 8, tr. 1, resol. 42;* Anton. Cotonius, Ord. Min. († 1682) *Controv. lib. 2 de Sacr. controv. 1, cap. 1, n. 20 seq.;* Martinus de Esparza, S. I. († 1689) *Cursus*

theol. lib. 10, de sacr. Ord. qu. 104, art. 7; Franc. Farvacques, E. S. A. († 1689) *Opuscula theol. de Sacr. in gen. cap. 4, qu. 3.*

96. - Saec. xviii: Caiet. Fel. Veranus, Theat. († 1713) *Theol. polem. lib. 10, cap. 6;* Ioan. Clericatus, Orat. († 1717) *Decis. sacram. de sacr. Ord. dec. 7;* Augustin. Mathaeuccius, Ord. Min. († 1772) *Op. dogm. adv. haeterod. Controv. 7, cap. 2, obj. 5;* Hieronym. a S. Aug., Ord. SS. Trin. (fl. 1745) *Controv. polem. Controv. 7, disp. 2, num. 1016.*

97. - *Argumenta,* quibus haec sententia propugnatur, sunt:

1. Discrepantia evidens inter Ecclesiam orientalem et occidentalem in administratione sacramenti Ordinis: illa solam adhibet manus impositionem et orationem; haec traditionem instrumentorum cum formula *Accipe potestatem,* etc. Ergo dicendum utroque ritu Sacramentum conferri.

2. Apostoli et Ecclesia per multa saecula sola impositione manuum sacerdotium contulerunt; e contra Decretum Eugenii IV in sola traditione patenae ac calicis cum adiuncta formula Sacramenti essentialia sita esse docet. Ergo in utroque ritu integrum Sacramentum invenitur.

3. Talis est tot tantorumque doctorum opinandi diversitas, aliis in impositione manuum, aliis in traditione instrumentorum essentialia sacramenti Ordinis reponentibus, ut concludendum videatur in utraque caeremonia signum sacramentale inveniri.

98. - *Animadvertendum* 1) in primum argumentum, Ecclesiam orientalem revera sola manuum impositione sacramentum Ordinis conferre ac veros habere sacerdotes, ut pluries declaratum fuit; Ecclesiam vero occidentalem non *solam* instrumentorum traditionem adhibere, sed adhibere etiam ac semper adhibuisse manuum impositionem cum Spiritus Sancti invocatione. Hinc illatio minime valet.

2) In secundum argumentum notandum, verissimum quidem esse sacramentum Ordinis per multa saecula sine porrectione instrumentorum ministratum esse, unde sane probatum manet ritu manuum impositionis valide Sacramentum conferri; dubium vero esse an Decreto Eugenii IV revera inconcusse

constet, sacramenti Ordinis essentiam in instrumentorum traditione reperiri. Unde argumentum nihil certo concludit.

3) In tertium argumentum advertendum, ut iam saepe dictum est, non ab argumentatione sed a traditione quaerendum esse quid Christus Dominus statuerit. Quare neque ex opinandi diversitate neque ex rationibus quibus nituntur auctores aliquid inferri potest.

6ª Sententia.

99. - Sexta demum sententia docet totam essentiam sacramenti Ordinis consistere in *prima manus impositione et in oratione, quae cum ea a Pontifice funditur;* caetera omnia: calicis et patenae cum pane et vino porrectionem ac formulam *Accipe potestatem offerre sacrificium* etc. sicut etiam ultimam manuum impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata,* etc. esse caeremonias, utcumque venerandas, ad signum sacramentale Ordinis a Christo Domino institutum non pertinentes. Omnes ergo hasce caeremonias habet mere accidentales, ad solam maiorem solemnitatem et clariorem explicationem potestatis collatae ab Ecclesia labentibus annis introductas.

100. - Ita saec. XIII: Guilelmus Antissiodorensis († 1232) *in lib. 4 Sent. tract. 8, art. 1;* Guilelmus Alvernus Ep. Parisiensis († 1249) *de sacramento Ordinis cap. 2;* S. Bonaventura († 1275) *in 4, dist. 24, p. 2, art. 2, qu. 4;* Petrus de Tarentasia O. P. (Innoc. V) († 1276) *in 4, dist. 24, qu. 5, art. 3;* Hugo Argentin., O. P. (fl. 1280) *Breve totius theol. verit. Comp. in 7 libr. lib. 6, cap. 36.*

101. - Saec. XIV et XV: Ioannes Bachon, Carm. († 1346) *in 4 lib. Sent. dist. 25, qu. 1, art. 2;* Thomas Waldensis, Carm. († 1430) *Doctrinale fidei tom. 3* (ed. Ven.) *de sacr. Ord. cap. 123.*

102. - Saec. XVI: Henricus VIII *Assertio sept. Sacram. adv. Mart. Luth. de sacram. Ordin.* (an. 1521); Ioan. Fisher Roffensis († 1535) *contra captiv. Babyl. cap. 12, § 3-7; de*

sacri sacerdotii defensione Congr. 2, ax. 9, § 31 et 33; Ioan. Eckius († 1543) *Enchiridion locor. comm. contra Luth. cap. 7;* Iac. Latomus († 1544) *adv. Tindalum l. 3 de Sacr.;* Petrus Soto, O. P. († 1563) *Tract. de instit. sacerd. de Ord. lect. 4 et 5 de sacr. Ord.;* Mart. Perez, Aiala, Ep. Guidix († 1566) *de div. apost. atque eccles. Tradit. pars. 3, Consid. 4 de sacr. Ord.;* Marianus Victorius, Ep. Amerin. († 1572) *ad epist. S. Epiphanii inter ep. S. Hier., op. t. 2;* Card. Hosius († 1579) *Confessio Cath. fidei tom. 1, cap. 53, § quod autem ordo;* Franc. Horantius seu Orantes, Ord. Min. qui Tridentino interfuit († 1584) *Locor. cathol. libr. 7, cap. 10;* B. Petrus Canisius, S. I. († 1597) *Opus catech. de sacr. Ord. qu. 1, 3, 5.*

103. Saec. XVII: Thom. Bozius, Orat. († 1610) *de Signis Eccl. Dei lib. 16, cap. 5;* Petrus Cabrera, Cordub., O. S. H. (fl. 1611) *in 3am, qu. 60, art. 6, disp. 1, § 5 et qu. 65, art. 1, n. 9;* Franc. Suarez, S. I. († 1617) *de Sacr. disp. 2, sect. 3, et disp. 33, sect. 4*[1]*;* Mart. Becanus, S. I. († 1624) *de Sacr. cap. 26, qu. 4 et opusc. de vocat. ministri n. 37, seq. et opusc. tom. 5, lib. 3. cap. 5;* Petrus Coton S. I. († 1626) *Institutio cathol. (contra Calvinum) lib. 3 de sacr. Ord. c. 57;* Petrus Arcudius († 1632) *de Concord. eccl. Or. et Occ. in 7 Sacr. admin. lib. 6, cap. 7*[2]*;* Hugo Menardus O. S. B. († 1644) *in notis ad S. Greg. libr. sacram. pag. 504 seq.* (Migne *Patr. Lat. tom. 78 col. 491*)[3]*;* Iacob. Marchantius († 1648) *Candel. myst. tract. 7, lect. 1, prop. 2;* Petavius, S. I. († 1652) *De eccl. Hierarch. lib. 2, cap. 6, n. 13;*

[1] Quamvis Suarez morte praeventus quaestionem ex professo non tractaverit, principia tamen ab ipso in tractatu de Sacr. in genere proposita talia sunt ut necessario ad hanc sententiam adducant.

[2] Arcudius Decreto Eugenii IV in angustias coniectus *cap. 4* dicit in ecclesia Latina utrumque ritum *impositionis manus* et *traditionis instrumentorum* ad essentiam Ordinis pertinere. Nesciens deinde quomodo hoc cum certa contraria universalis Ecclesiae traditione componat *cap. 6* scribit in ecclesia Latina « *impositionem manuum fieri dum Epi-* « *scopus exhibet instrumenta* ». Re tandem accuratius considerata *cap. 7* sententiam suam clare exponens ait: « *Summa huius sententiae est manuum impositionem in sacramento* « *Ordinis solam esse materiam, eamque determinatam a Christo Domino et nullam* « *prorsus aliam, idque esse intelligendum non minus in ecclesia Latina quam Graeca* ».

[3] Hugo Menardus multos adducit doctores universitatis Parisiensis eamdem sententiam propugnantes, quam dicit esse sententiam Universitatis.

Iac. Goarius, O. P. († 1653) *Euchologion sive Rituale Graecorum (Paris. 1647) notae in diaconi ord.;* Ioan. Morinus, Orat. († 1659) *de sacr. Ord. pars 3, exerc. 7, cap. 1, 2 et 5;* Vinc. Contenson, O. P. († 1674) *Theol. mentis et cordis lib. 11, pars 4, diss. 3, cap. 1, spec. 2;* Bonus Merbes. († 1684) *Summa christiana de sacr. Ord. diss. 6, qu. 51 et 52.*

104. – Saec. XVIII: Philip. Grossi, O. P. († 1704) *Tract. in univ. theol. mor. tr. 20 de sacr. Ord. cap. 1;* Ioan. Bapt. Duhamel († 1706) *Theol. spec. et pract tract. de Ord. diss. 1, cap. 2; sacr. Ord. cap. 1;* Carol. Witasse († 1716) *Tract. theol. de Ord. pars 2, qu. 2, art. 2;* Ludov. Habert († 1718) *Theol. dogm. et mor. pars 1, cap. 7, qu. 5;* Anton. Boucat. Min. (fl. 1718) *Theol. graec. Patr. diss. 6, art. 6, sect. 2;* Petr. Dan. Huetius († 1721) *Alnetanae quaest. lib. 2, cap. 20, § 6;* Nat. Alex., O. P. († 1724) *Theol. dogm. et mor. lib. 2, tract. de Ord. cap. 1, art. 7; cfr. art. 2, § 2;* Brocardus a S. Nicolao, Carm. (fl. 1726) *Prof. fid. Cathol. art. 24 § 2;* Gasp. Iuenin., Orat. († 1727) *Comment. hist. et dogm. de Sacr. diss. 9, qu. 3, cap. 2; cfr. qu. 4, cap. 2, n. 3;* Tournely († 1729) *Praelec. theol. de sacr. Ord. qu. 3, concl. 1;* Theol. Petrocor. *lib. 2, tr. 3, cap. 3, qu. 4;* Ben. Canali, Serv. B. M. V. († 1734) *doctrina cath. de 7 eccles. Sacr. lib. 7, disp. 1, qu. 2;* Fortunatius Venerius, Barnabita (fl. 1735) *Qq. schol. pars 1, de Ord. generatim cap. 3, n. 32 seq. et pars 2, qu. 4, art. 2;* Nicol. l'Herminier, Doct. Paris. († 1735) *Tract. de sacr. de Ord. cap. 5 et 6;* Petr. Ludov. Danes († 1736) *Instit. doctr. christ. pars 1, sect. 2, cap. 23, qu. 2;* Martene O. S. B. († 1739) *de ant. Eccl. ritib. lib. 1, cap. 8, art. 9, n. 16, 17, 18;* Ren. Drouven, O. P. († 1742) *De re sacram. contra perduelles hereticos libri 10, quibus omnia et singula Sacramenta consensione, universitate, perpetuitate adstruuntur ..... ad mentem praeceptoris Angelici, lib. 8, qu. 3.*

105. – Dan. Concina, O. P. († 1756) *Theol. diss. 2 de sacram. Ord. cap. 3, num. 4;* Angelus Franzoia († 1760) *Theol. mor. lib. 6, tract. 5, cap. 2, animadv. 3;* Philoth. Eudoxus (fl. 1763) *Summa theol. pars 2, cap. 15;* Petr. Andr. Gauggi, Carm. (fl. 1764) *Enchirid. theol iuxta ment. Ioan. Bacon. Carm. tr. 8, diss. 7, qu. 2,*

art. 1 et 2; Gasp. Vattolus († 1764) *Theol. dogm. mor. de sacr. Ord. lib. 6, cap. 2;* Thomas ex Charmes capp. († 1765) *Theol. univ. de sacr. Ord. cap. 3, § 2;* Ioan. Berti, E. S. A. († 1766) *De theol. disc. lib. 36, cap. 12;* Anton. Boranga, O. S. H. († 1766) *Instit. theol. tract. de Ord. cap. 1, § 26;* Stampo (fl. 1769) *Elem. theol. pract. tom. 4 de Ord. cap. unic. prop. 7;* Ioan. Car. Bossius, Schol. piar. († 1769) *Instit. theol. lib. 11, de sacr. Ord. cap. 2;* Vincent. Patuzzi, O. P. († 1769) *Ethica christ. tract. de Sacr. pars 7, diss. 1, cap. 5;* Anton. Genuensis (fl. 1770) *Christ. theol. Elem. lib. 6, cap. 14, § 7 seq.;* Petr. Collet († 1770) *Instit. theol. tract. de Ord. cap. 5, § 3, qu. 2;* Chardon, O. S. B. († 1771) *dell'ord. lib. 1, cap. 11;* Iul. Selvaggio († 1772) *Antiq. christ. Instit. lib. 3, cap. 14, § 2;* Th. M. Cerboni, O. P. († 1776) *Instit. disp. 24, lib. unic., cap. 1;* Gallo Cartier, O. S. B. († 1777) *Theol. univ. tract. 7, p. 1, cap. 4;* Castus Innoc. Ansaldus, O. P. († 1779) *Praelect. theol. de Sacram. diss. 8, cap. 15,* Paschalis Fulco (fl. 1784) *Theol. mor. Instit. tract. ult. de sacr. Ord. cap. 2;* S. Alphonsus († 1787) *Theol. mor. lib. 6, tract. 5, n. 749; Opus dogm. contra haereticos etc. Conc. Trid. Decreta et Canones* (ed. Walter) *disp. 11, sess. 23, cap. 3, n. 18 et 19;* Albert. Pappiani, Schol. piar. († 1790) *Doctrina christ. de sacr. eccles. Sacr. ab haeret. error. vindicata tr. 8, cap. 3, § 1;* Bened. Stattler († 1797) *Theol. christ. tract. 6, cap. 6, n. 585 et 586.*

106. - Saec. XIX: Anton. Luby († 1802) *Theol. mor. pars 3, cap. 4;* Marian. Dobmayer, O. S. B. († 1805) *Instit. theol. pars 3, § 351;* Paul. Sperone (fl. 1824) *Theol. mor. tract. 8, qu. 2;* Ios. Anton. Alasia (fl. 1830) *Comm. theol. mor. tom. 8. Comm. de Ord. cap. 1;* Henric. Klee († 1840) *Manual. christ. Dogm. pars 2, cap. 6, § 7;* Patav. Semin. *Curs. theol.* († 1844) *de Sacram. disp. 10, qu. 2;* Franc. Leop. Brun. Liebermann († 1844) *Instit. theol. de sacr. Ord. cap. 2, art. 1, § 2;* Neyraguet (fl. 1845) *Compend. Theol. mor. tract. 24, cap. 2;* Blas. Panzuti, C. SS. R. († 1846) *Sacr. Theol. specul. Instit. tract. 7 de Ord. num. 351;* Martin. Schmidt, C. SS. R. († 1851) *Epit. Theol. mor. tract. 5, cap. 2, § 106.*

107. - Ios. Grassi (fl. 1853) *Univ. Theol. mor. tract. 20, cap. 1;* Ioan. B. Bouvier († 1854) *Instit. theol. tract. de Ord. cap. 3;* Agnell. Porpora (fl. 1855) *Theol. mor. tract. 20, pars 2, cap. 5, num. 218;* Pius v. d. Velden, Ord. Min. († 1857) *Princip. Theol. mor. tract. 6, cap. 2, num. 347;* Domin. Colauzzi († 1860) *Compend. Theol. mor. tract. 6, pars 2, § 131;* Narcis. Puig et Franc. Xarrié O. P. (fl. 1861) *Instit. theol. de sacr. Ord. cap. 7, concl. 1;* Franc. Patr. Kenrick († 1863) *Theol. dogm. tract. 15, cap. 1. - Theol. mor. tract. 20, cap. unic. num. 7;* Th. M. Gousset († 1866) *Theol. dogm. de Ord. cap. 2;* Petr. Gury, S. I. († 1866) *Theol. mor. tract. de Ord. num. 701;* Franc. Xav. Schouppe, S. I. (fl. 1867) *Elem. Theol. dogm. de Ord. cap. 2, art. 1, qu. 1;* Anton. Martinet († 1874) *Instit. theol. lib. 5, art. 4;* Teissonier (fl. 1875) *Compend. Theol. dogm. tract. de sacr. Ord. cap. 2, art. 2, § 5;* Ioan. Perrone, S. I. († 1876) *Prael. theol. tract. de Ord. sect. 2, num. 622;* Aemil. de Augustinis S. I. (fl. 1878) *De Re sacram. de Ord. art. 7;* Anton. Ballerini, S. I. († 1881) *Op. Theol. mor. tract. 10, sect. 7, n. 13;* Petr. Scavini († 1881) *Theol. mor. lib. 3, tract. 11, cap. 1, art. 2, num. 545;* Ioan. P. Morino, Congr. Miss. (fl. 1881) *Theol. mor. de Ord. cap. 2, art. 3;* Anton. Konings, C. SS. R. († 1884) *Theol. mor. tract. de Ord. cap. 2, num. 1516;* Dubillard (fl. 1884) *Praelect. theol. dogm. tract. 6, pars 1, cap. 2, art. 1;* Gabriel a Varceno, Capp. (fl. 1884) *Comp. theol. mor. tract. 20, cap. 1, art. 2;* Aloys. Sabetti, S. I. (fl. 1884) *Compend. Theol. mor. tract. de Ord. cap. 2, num. 830;* Raym. Alsina (fl. 1885) *Compend. Theol. mor. tract. de Ord. cap. 2;* Del Vecchio (fl. 1885) *Theol. mor. tract. 11, disp. 1, cap. 1, num. 805;* Ioan. B. Franzelin, S. I. († 1886) *Tract. de Sacram. in genere thes. 5;* Clem. Marc, C. SS. R. († 1887) *Instit. mor. tract. 7, cap. 1, art. 3;* Ern. Müller († 1888) *Theol. mor. de sacr. Ord. § 198;* I. H. Oswald (fl. 1890) *Die dogm. Lehre v. d. hl. Sacr. pars 7, § 4;* Ioan. Schwetz († 1890) *Theol. dogm. tract. 3 de Sacram. art. 6, § 143;* Ios. d'Annibale († 1892) *Summa theol. mor. lib. 3, tract. 2, num. 290;* Ioan. B. Sasse, S. I. *Instit. theol. de sacr. Ord. cap. 3, thes. 7 et 8 et cap. 4.*

108. - Nostra aetate: Domin. Palmieri S. I. *de Rom. Pont. Proleg. § 15, schol. 3;* Petr. Einig. *Instit. Theol. dogm. de Ord. cap. 2, art. 2;* Card. Gasparri *Tract. can. de Ord. cap. 5, num. 1079;* Card. Vives *Compend. Theol. mor. cap, 17, n. 650;* Augustin. Lehmkuhl, S. I. *Theol. mor. tract. 7 de sacram. Ord. num. 590;* Ios. Aertnys, C. SS. R. *Theol. mor. de Ord. cap. 2, art. 1;* Ianuar. Bucceroni, S. I. *Instit. Theol. mor. de Ord. num. 883;* Eduard. Genicot, S. I. *Theol. mor. Instit. tract. 11, sect. 7, cap. 1;* Christ. Pesch, S. I. *Praelect. dogm. de Ord. sect. 2, num. 622;* Ioan. Herrmann, C. SS. R. *Instit. Theol. dogm. tract. 14 de Ord. num. 1876;* Nic. Gihr *Les Sacrements de l'Eglise cath.; de l'Ordre § 17.*

Vix ullus superest qui hanc sententiam non sequatur: « *Recentiores,* ita merito Chr. Pesch, *vix non omnes hanc sen-* « *tentiam amplectuntur* »[1].

PARS SECUNDA.

Inquisitio veritatis

109. - Expositis sententiis, quae in tot diversa et disparia placita abeunt, accedendum est ad veritatis inquisitionem. Quaerendum itaque cui signo visibili Institutor Sacramentorum, Christus Dominus, invisibilem gratiam sacramenti Ordinis adnexuerit. Hoc factum est historicum, uti patet; quaerendum proinde non mentis speculatione atque ratiocinatione, sed scrutatione documentorum traditionis. Propterea nullus certo inficias ibit tuto in antecessum statui posse has regulas: Si invenitur ritus, quo inde ab initio sacra Ordinis potestas collata est, qui in omnibus totius orbis terrarum ecclesiis servatus atque per omnia sibi succedentia saecula ubique constanter adhibitus neque unquam praetermissus aut immutatus est, is utique necessario agnoscendus est ritus essentialis ab Ecclesiae Fundatore ipsi traditus ad sacramentum Ordinis conferendum.

[1] Praelect. dogm. de Ord. sect. 2, n. 622.

Si vero inveniatur ritus, qui neque ubique, neque semper, neque ab omnibus ecclesiis adhibitus est vel adhibetur, hic, utcumque caeteroquin venerandus appareat et collationem potestatis sacerdotalis pulchre ac vivide exprimat, ecclesiasticae institutionis habendus est, non divinae, neque proinde signum collativum gratiae; Ecclesia enim signo sensibili adnectere vim sanctificationis animae non potest.

110. - Ut ordinatim procedamus primum examinabimus quid libri sacri nos doceant de sacramenti Ordinis ministratione; deinde scrutabimur quid circa eam in scriptis sanctorum Patrum et Auctorum ecclesiasticorum, quid in decretis Summorum Pontificum, quid demum in libris ritualibus ecclesiae Occidentalis et Orientalis inveniatur. Quidquid in hisce traditionis documentis invenire potuimus quod quaestioni aliquam lucem afferre videbatur, speciatim omne id quod ad impositionem manus aut quodemumcumque modo ad instrumentorum traditionem refertur aut ad eam alludere potest fideliter referemus et examinabimus.

1. Scriptura Sacra.

111. - In Evangelio S. Lucae legimus quomodo D. N. I. C. apostolos suos sacerdotes constituerit cum potestate sacrificandi: « *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis* « *dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc* « *facite in meam commemorationem* ».[1] Cfr. 1 Cor. 11, 24-25; S. Math. 26, 26; S. Marcus 14, 22.

Item legimus quomodo Dominus post resurrectionem suam Apostolis suis dederit potestatem remittendi peccata. S. Ioannes narrat: « *Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: accipite* « *Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur* « *eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* ».[2]

Ad primos textus, ut vidimus supra, provocant auctores primae et secundae sententiae in eisque repraesentationem vident traditionis instrumentorum in sacra ordinatione. Alteros

[1] *Cap. 22, 19.*

[2] *Cap. 20, 22-23.*

textus appellant defensores secundae et quartae sententiae in eisque inveniri putant ritum ultimae impositionis manuum in ordinatione. Cfr. supra num. 24, 25 et num. 61 seq. ubi iam multa de hisce dicta sunt.

112. - Sane negari non potest aliquam haberi similitudinem inter modum agendi Domini et ritus memoratos s. Ordinationis. Quum vero certum sit, neque ab ullo in dubium vocetur Dominum nostrum prae sua potestate divina Sacramenta seu potius effectus Sacramentorum contulisse modo sibi bene viso, sola illa Christi agendi ratio nihil nobis certi dicit de signo sacramentali Ordinis, nisi subsequenti apostolorum praxi et inde derivato perpetuo Ecclesiae usu comprobetur. Si Apostoli alio ritu usi sunt et Ecclesia quoque post Apostolos aliud signum sacramentale adhibuit, necessario dicendum est, Christum non indicasse sua agendi ratione in coena ultima et post resurrectionem sacramenti Ordinis ritum, sed alia occasione Apostolos de eo docuisse. Conferantur quae supra n. 25 et praesertim ea quae n. 62 dicta sunt.

Examinemus itaque Apostolorum agendi rationem in collatione sacramenti Ordinis.

113. - In *Actibus Apostolorum* non solum legimus sanctos Apostolos Ordinis sacramentum ministrasse, verum etiam quo *ritu* seu signo extrinseco illud ministraverint. *Impositione manus* scilicet atque *oratione* ordinaverunt:

a) Diaconos: « *Hos* (scilicet Stephanum aliosque electos) « *statuerunt ante conspectum Apostolorum et orantes imposue-* « *runt eis manus* ».[1]

b) Presbyteros: « *Cum constituissent per singulas eccle-* « *sias presbyteros* ».[2] Cum *constituissent*, χειροτονήσαντες: per manus impositionem creassent.[3]

c) Episcopos: « *Tunc ieiunantes et orantes imponentesque* « *eis* (Paulo et Barnabae) *manus, dimiserunt illos* ».[4]

[1] *Cap. 6, 6.*

[2] *Cap. 14, 22.*

[3] Ita versio Armena.

[4] *Cap. 13, 3.* Cfr. S. Alphonsus *Op. dogm. c. haer. disp. 11, n. 3, 4, 18 seq.* (ed. Walter).

Sanctus Paulus quoque saepe in suis epistolis commemorat *ritum* sacrae Ordinationis:

In prima ad Timotheum: « *Noli negligere,* inquit, *gratiam* « *quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impo-* « *sitione manuum presbyterii* ».[1] - " *Per prophetiam* „, h. e., uti multi exponunt, per orationem mysticam coniunctam manus impositioni. Alii tamen per prophetiam intelligendam esse dicunt revelationem, qua Deus Timotheum episcopum ordinari iussit. Quocumque sensu sumitur, semper constat ex verbis Apostoli, gratiam sanctificantem ordinationis Timotheo datam esse impositione manuum, cui uti ex locis paralelis patet, coniuncta erat oratio.

In eadem epistola: « *Manus,* ait, *cito nemini imposueris* ».[2]

In altera ad eumdem Timotheum: « *Propter quam causam,* « inquit, *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te* « *per impositionem manuum mearum* ».[3]

114. - Ex hisce locis clare elucet sanctos Apostolos per solam impositionem manuum et fusam coniunctim orationem sacram Ordinis potestatem seu gratiam sacramentalem Ordinis contulisse; ex quibus legitime concluditur, secundum sacram Scripturam, symbolum essentiale, seu signum collationis gratiae sacramenti Ordinis esse solam manus impositionem cum oratione.

115. - Neque inobservatum praetereundum est, pro nullo alio Sacramento tam clara tamque abundantia adesse S. Scripturae testimonia quam pro sacramento Ordinis; unde merito affirmari potest ex S. Scriptura aut erui non posse qualia sint signa collativa gratiae a Christo Domino instituta, aut certo inferri sacri Ordinis symbolum esse impositionem manus et orationem: « *Sicut,* inquit ad rem doctus Liberius a Iesu, *ex* « *quo Ioan. 3, 5 dicatur:* nisi quis renatus fuerit ex aqua et « Spiritu Sancto, *essentialis creditur aqua in baptismo; ita* « *quia saepe in ordinatione de manuum impositione sermo* « *habetur, clare evincitur hanc esse essentialem huius Sacra-*

[1] *1 Tim. 4, 14.*
[2] *1 Tim. 5, 22.*
[3] *2 Tim. 1, 6.*

« *menti materiam. Vel ergo ex Scripturis non habemus unde* « *contra haereticos probemus ordinationem esse sacramentum;* « *vel cogimur affirmare manuum impositionem esse essentia-* « *lem eiusdem materiam* ».[1]

116. - Conclusio non parum confirmatur ex Concilio Tridentino, quod merito observat, S. Scripturam aperte docere quid maxime in sacra Ordinatione attendendum sit: « *Non solum* « *de sacerdotibus,* ait, *sed et te diaconis sacrae litterae aper-* « *tam mentionem faciunt, et* QUAE MAXIME IN ILLORUM ORDINA- « TIONE ATTENDENDA SUNT *gravissimis verbis docent* ».[2] In confesso est ea quae maxime attendenda sunt in ordinatione esse ritus essentiales. Ergo hos ritus secundum Concilium gravissimis verbis docet Scriptura. Iamvero Scriptura pro sacerdotum et diaconorum ordinatione non alium refert ritum quam manus impositionem et orationem. Ergo in hisce secundum Scripturas essentia Ordinationis consistit.

117. - Patroni priorum sententiarum hisce tam eloquentibus Scripturae testimoniis non parum implexos et impeditos se vident. Ut difficultatibus se extricent, sicut infra uberius referetur, varia excogitarunt effugia: Apostolos per dispensationem Domini ita ordinasse - Scripturam non omnia narrare - Scripturam hic intelligendam esse de ritu accidentali sacrae Ordinationis, non de essentiali, etc. etc. Sed haec revera futilia sunt. « *Si ita est,* ait optime card. Bellarminus, *non possumus* « *convincere haereticos, Ordinationem esse Sacramentum pro-* « *prie dictum, quia non possumus in Scriptura demonstrare* « *symbolum externum huius Sacramenti. Deinde, si licet ita* « *exponere, poterimus negare materias omnium Sacramento-* « *rum: dicam enim, aquam non esse de essentia in Baptismo* « *secundum Scripturas, nec vinum in Eucharistia, nec oleum* « *in Extr. Unctione, etc. Praeterea Scriptura non solet in*

[1] *Tract. 7, pars. 1, disp. 2, controv. 2.* Liberius a Iesu, textibus Scripturae convictus, agnovit *primam* manuum impositionem esse essentialem sacrae ordinationi; ob decretum tamen Eugenii IV etiam instrumentorum traditionem essentialem dicit. Cfr. supra n. 77.

[2] *Sess. 23, cap. 2.*

« *aliis Sacramentis tradere nisi essentiales caeremonias, et vix* « *etiam illas integre; quis ergo sibi persuadeat, in hoc Sacra-* « *mento semper nominari ritum accidentarium, omisso essen-* « *tiali? Denique Paulus dicit per manus impositionem dari* « *gratiam 1 Tim. 4 et 2 Tim. 1. Ergo manus impositio est pars* « *Sacramenti essentialis; non enim gratiae promissio facta* « *est caeremoniis accidentariis, sed essentialibus* ».[1]

2. SS. Patres, Pontifices et Scriptores ecclesiastici.

118. - In SS. Patrum, Pontificum et Scriptorum ecclesiasticorum operibus non raro sermo occurrit de sacra Ordinatione, atque eius ritus describitur vel saltem symbolum sacramentale expresse commemoratur aut indubiis verbis indigitatur. Colligamus e diversis saeculis testimonia.

Saeculo primo. Supra num. 113 vidimus, Apostolos ordinasse Episcopos, presbyteros et diaconos una impositione manuum et oratione. Eumdem modum Ordinationis proxime subsequenti aetate fideliter retentum fuisse quis dubitare potest? Legitime enim praesumitur, primos ab ipsis Apostolis constitutos et edoctos Pastores religiose retinuisse omnia quae a Domini discipulis circa Sacramentorum administrationem acceperant. Explicata e primo saeculo testimonia post Apostolorum tempora non inveni.[2] Sed praesto sunt duo antiquitatis testes, qui de primaevis sacris ordinationibus verba faciunt.

119. - Primus est *Eusebius Caesariensis*, sagacissimus vetustatis investigator atque relator. Narrat primum diaconorum ordinationem ab Apostolis celebratam eamque expresse dicit sola oratione ac manus impositionem factam esse. « *Mox,* ait,

[1] *De sacram. Ord. lib. I, cap. 9.* - Mirum profecto quod doctissimus Bellarminus non vidit impositionem manuum, quam merito ex S. Scriptura symbolum sacramentale Ordinationis agnoscit, esse non posse eam, quae in ecclesia Orientali plane ignota est ac semper remansit, quae per multa saecula etiam in Occidente incognita fuit, quaeque fit post peractam ordinationem, postquam scilicet ordinandus iam cum episcopo missam consacravit. Puto rationem quaeri debere in eo quod vener. vir non invenerit alium modum satisfaciendi Decreto Eugenii IV.

[2] Dico explicata. In Doctrina (*Διδαχη*) duodecim Apostolorum legitur solummodo: *Χειροτονήσατε οὖν ἑαυτοῖς ἐπισκόπους καὶ διακόνους ἀξίους τοῦ κυρίου*, etc.

« *septem spectatae virtutis viri per precationem manusque* « *impositionem diaconi ab apostolis constituti sunt* (καθίστανται « δὲ δι' εὐχῆς καὶ χειρῶν ἐπιθέσεως τῶν ἀποστόλων εἰς διακο- « νίαν). » [1] In chronicis deinde refert, Anianum postquam Marcus Evangelista Alexandriae ecclesiam fundaverat, ipsi ibidem successorem in episcopatu creatum esse per manus impositionem. « *Post Marcum Evangelistarum primus Alexandriae* « *ecclesiae ordinatur episcopus Anianus* (πρῶτος ἐπίσκοπος « ἐχειροτονήθη manuum impositione episcopus constituitur). [2]

120. - Similiter Auctor *Constitutionum Apostolicarum* narrat quos in diversis ecclesiis successores habuerunt apostoli, et quomodo episcopi ordinati fuerunt. « *De episcopis vero, qui* « *a nobis ordinati sunt* (χειροτονηθέντων manuum impositione « creatorum) *indicamus vobis, quod hi sunt ... urbis Alexan-* « *drinorum Annianus primus a Marco evangelista ordinatus est* « (κεχειροτόνηται manus impositione sacratus est), *secundus Avil-* « *lius a Luca et ipso evangelista. Romanorum Ecclesiae primus* « *quidem Linus ... secundus autem, a me Petro post mortem Lini* « *ordinatus fuit Clemens* (ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, δεύτερος κεχειροτόνηται « impositione manus episcopus factus est). [3]

121. - In operibus vero, quae supersunt, Patrum huius primi saeculi, S. Clementis Rom., S. Papiae Hierapolitani, S. Hermae et S. Ignatii nihil circa sacrum Ordinem eiusve ritum invenitur. Loquitur quidem S. Clemens in *epistola ad Corinth. cap. 42 et 43* de constituendis episcopis et diaconis; loquitur similiter S. Ignatius in suis litteris de episcopis, presbyteris ac diaconis, at de ipsa sacra eorum ordinatione eiusve ritu nullum verbum habent. Nec mirum. Nullum enim erat ipsis occasio de ritu ordinationis loquendi.

122. - Saeculo secundo. Neque in documentis, quae hucusque detecta sunt, saeculi secundi, aut in scriptis Patrum huius aetatis multum invenire est. Commemorat S. Polycarpus in sua ad Philippenses epistola presbyteros et diaconos; loquitur S. Ire-

[1] *Hist. eccl. lib. 2, cap. 1.* - Migne P. G. 20. 134.

[2] *Chronic. lib. 2.* - Migne P. G. 19, 543.

[3] *Const. ap. lib 7, cap. 46.* - Migne P. G. 1. 1047 sqq.

naeus de presbyteratu et de episcopatu; modum vero seu ritum ordinationis ne verbulo quidem attingunt. Quod eidem ac supra rationi, absentiae dico occasionis de eo loquendi, tribuendum est. Notum est enim ea quae ad sacram doctrinam et cultum pertinent primis praesertim temporibus orali potius traditione quasi de manu ad manum fuisse transmissa, et occasione tantum vel specialibus impellentibus circumstantiis a Patribus et ecclesiasticis scriptoribus litteris mandata esse.

123. - Echo tamen huius secundi saeculi haberi potest **S. Clemens Alexandrinus** († 217), qui quamvis expresse non loquatur de sacra ordinatione, clare tamen eius symboli sacramentalis mentionem facit. In septimo libro *Stromatum* dicit: « *Hic est* « *revera presbyter ecclesiae et verus diaconus, id est minister* « *Dei voluntatis, si faciat et doceat quae sunt Domini, non* « *quasi ordinatus ab hominibus* (*οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων χειροτονού-* « *μενος*) hoc est, ait Le Nourry, manuum impositionem, qua « presbyter vel diaconus inauguraretur, ab hominibus non acce- « perit. Ex quibus adhuc (i. e. praeter alia iam memorata) colli- « gitur Clementem autumasse christianos impositione manuum « sacro diaconi et presbyteri ordine initiari » [1]) *neque quod pre-* « *sbyter iustus censeatur, sed quod iustus referatur in presby-* « *teratum* » [2].

124. - Saeculo tertio testimonium occurrit **Tertulliani**, qui loquens de Sacramentis ait: « *Caro abluitur ut anima emacu-* « *letur ... caro manus impositione adumbratur, ut et anima* « *spiritu illuminetur* » [3].

125. - **S. Cornelius** in epistola ad Fabium Antioch. narrat sacerdotalem ordinationem Novatiani: « *Cum egregius ille vir* « (ironice loquitur de Novatiano) *Ecclesiam Dei reliquisset, in* « *qua post susceptum baptismum presbyteri gradum fuerat* « *consecutus, idque per gratiam episcopi, qui manus illi impo-*

[1] *Disp. 2 de libris Strom. cap. 9, art. 3.*

[2] *Strom., lib. 6, cap. 13.* — Migne P. G. 9. 327. Ex Eusebio Caesar. *Hist. eccles., lib. 6, cap. 6,* apparet Stromatum libros fortasse ante vel saltem non ita multum post annum 200 compositos fuisse; unde putamus Clementem hic merito ad secundum saeculum referri posse.

[3] *Liber de resurrect. carnis, cap. 8.* — Migne P. L. 2. 806.

« *nens eum ad presbyterorum ordinem evexit* (κατὰ χάριν τοῦ « ἐπισκόπου τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον). « *Cui cum universus clerus multique ex populo refragarentur,* « *eo quod non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi* « *in lectulo perinde ac ille, baptizati fuissent, in clerum assumi;* « *postulavit ab iis episcopus ut hunc solum manus impositione* « *a se promoveri paterentur* (τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι) ».

126. - Et loquens in eadem epistola de eiusdem sacrilega consecratione episcopali narrat quomodo tres episcopos « *homi-* « *nes plane rudes ac simplices* » Romam dolo accerserit, ibique « *eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparave-* « *rat, inclusos hora decima, temulentos et crapula oppressos,* « *adumbrata quadam et inani manuum impositione episcopa-* « *tum sibi tradere cogit* (εἰκονικῇ τινι καὶ ματαίᾳ χειροπιθεσίᾳ « ἐπισκοπὴν αὐτῷ δοῦναι) ».[1]

127. - **S. Cyprianus** quoque in epistola ad clerum et plebem Hispaniae ritum ordinationis commemorat in hunc modum: « *Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri* « *ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio et de epi-* « *scoporum, qui in praesentia convenerant quique de eo ad vos* « *litteras fecerant, iudicio episcopatus ei deferretur et manus* « *ei in locum Basilidis imponeretur* ».[2]

128. - In **Institutione** quoque seu **Didascalia** Apostolorum legimus: « *Talem decet esse episcopum unius uxoris virum,* « *curam domus suae bene agentem. Ita ergo probetur cum* « *manus impositionis accepit et sic ordinetur in episcopatum* ».[3]

129. - Iuvat hic adnotare in vetustis documentis non raro commemorari solam manuum impositionem vel etiam solam orationem in sacra episcoporum, presbyterorum et diaconorum ordinatione. Sciendum vero duo haec correlativa esse, et incontroversum apud eruditos, unum semper alterum inclu-

[1] *Epist. ad Fabium Antioch.* (Apud Euseb. *Hist. Eccl. lib. 6, cap. 43.* — Migne P. G. 20, 619 seq.).

[2] *Ep. 68* (Ed. Ven. Steph. Balluzzi pag. 253).

[3] *X, 28 seq.* apud Andr. Galante *Fontes Iuris can. selecti num. 10.* Didascalia sec. Funk *La date de la Didascalie des Apôtres* et Bardenhewer *Geschichte der Altkirch. Litter. tom. 2, § 69,* post medium saeculum III scripta est.

dere. Quando ex. gr. sermo est in ordinatione de *episcopo benedicente* vel *orante* intelligi semper debet de *episcopo manum imponente ac deprecante;* similiter ubi mentio fit de *episcopo manum imponente* semper, etsi expresse non dicatur, subintelligendum est: *et orante.* Unde S. Augustinus quoque: « *Quid aliud est,* inquit, *manuum impositio quam oratio super « hominem* ».

130. - Alia observatio, quam hic adiungere utile iudicamus, licet non necessarium ob dicta num. 110, haec est: In documentis traditionis hucusque adductis et infra adducendis (nisi expresse aliter notetur) non solum nulla mentio fit in ordinatione sacerdotali de traditione instrumentorum ac formula *Accipe potestatem offerendi sacrificium,* etc. aut de impositione manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata,* etc., et in ordinatione diaconali de porrectione libri Evangeliorum cum formula *Accipe potestatem,* etc.; verum etiam ne minimo quidem verbulo unquam ad aliquem horum rituum alluditur, aut contextus sermo eum supponere sinit. Semper de una impositione manus cum coniuncta deprecatione sermo est.

131. - Saeculo quarto. **Eusebius Caesariensis** saepissime in libris suis historicis de sacra promotione loquitur. Saepenumero episcoporum tantum successionem commemorat aut consecutionem alicuius sacri ordinis vel cathedrae episcopalis, et utitur simplicibus verbis καθίστημι, διαδέχομαι, similibusque vocabulis. Frequenter tamen de ipsa quoque ordinatione sacra dicit, vel modum administrandi ordinem indigitat symbolumque Sacramenti attingit.

132. - Narrans ordinationem Originis: « *probatissimi,* ait, *et « maxime insignes apud Palaestinam antistites Caesariensis « scilicet et Hierosolymitanus, cum Originem praerogativa et « supremi honoris apice dignum iudicassent, manus ei impo- « nentes presbyterum ordinaverunt* (χεῖρας εἰς πρεσβυτέριον « αὐτῷ τεθείκασι) ». [1]

[1] *Hist. eccl. lib. 6, cap. 8.* Migne P. G. 20. 538.

Eamdem ordinationem alibi commemorans: « *Presbyterii* « *gradum,* ait, *per impositionem manuum Caesareae ab illius* « *regionis episcopis accepit* (πρεσβυτερίου χειροθεσίαν) ». [1]

Alibi narrat de electione S. Fabiani divino interventu facta « *cum fratres omnes successoris ordinandi causa essent con-* « *gregati* (χειροτονίας ἕνεκεν) ». [2]

Et de consecratione Anatolii dicit: « *Huic Theotecnus, Cae-* « *sareae Palestinae episcopus primus manus imposuit eumque* « *episcopum ordinavit, successorem illum ecclesiae suae despon-* « *dens* (χεῖρας εἰς ἐπισκοπὴν ἐπιτέθεικε) ». [3]

133. – **S. Serapion** Thmuitanus in Egypto episcopus, S. Athanasii amicus, in scripto quodam, quod merito *Euchologium* dicitur, trium sacrarum ordinationum ritum impositionem manuum ac orationem clare indicat: « *Impositio manus ad* « *faciendos diaconos* (χειροθεσία καταστάσεως διακόνων): *Pater* « *unigeniti, qui filium tuum misisti* etc.

« *Impositio manus ad creandos sacerdotes* (χειροθεσία « καταστάσεως πρεσβυτέρων): *Manum imponimus Domine Deus* « *coelorum, Pater unigeniti* etc.

« *Impositio manus ad instituendum episcopum* (χειροθεσία « καταστάσεως ἐπισκόπου): *Qui Dominum Iesum misisti* etc. ». [4]

134. – **S. Ephrem Syrus** significantissime sacramenti Ordinationis signum collativum gratiae nominat, quum exclamat: « *O* « *potestas ineffabilis* (sacerdotii), *quae in nobis dignata est habi-* « *tare per impositionem manuum sacrorum sacerdotum* ». [5]

135. – **S. Basilius** saepe in epistolis loquitur de sacra Ordinatione, eamque semper fieri dicit manuum impositione. Ita scribit *Chorepiscopis* suis de turpitudine conferendi pretio sacros ordines, dicitque: « *Putant se ideo non peccare* (simonia) « *quod non ante sed post manus impositionem* (μετὰ τὴν χειρο- « τονίαν) *accipiunt; sed accipere est semper accipere* ». [6]

[1] Ibid. *cap. 23,* col. 575.

[2] Ibid. *cap. 29,* col. 587.

[3] Ibid. *lib. 7, cap. 32,* col. 730.

[4] Georg. Wobbermin *Altchr. Liturg. Stücke etc.,* pag. 10.

[5] *Sermo de Sacerdotio* (Ed. Veneta tom. 1, pag. 324.

[6] *Epist.* 53 (al. 76). Migne P. G. 32. 397.

Ad Poemium scribens de ordinatione Fausti: « *Anthimus,* ait, « *Faustum ordinavit propria auctoritate propriaque manu* (ἐχει-« ροτόνησε τὸν Φαῦστον ἰδίᾳ αὐθεντίᾳ καὶ ἰδίᾳ χειρί) ».[1]

Ad Amphilogium *(prima epistola canonica)* scribit: « *Qui* « *autem ab Ecclesia se separaverant, non habebant amplius in* « *se gratiam Spiritus Sancti; defecerat enim communicatio,* « *interrupta continuatione. Qui enim primi recesserant, ordina-* « *tiones a patribus habebant, et per manuum eorum imposi-* « *tionem habebant charisma spirituale* (παρὰ τῶν πατέρων ἔσχον « τὰς χειροτονίας, καὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν εἶχον « τὸ χάρισμα τὸ πνευματικόν) ».[2]

Ad Demosthenem de Gregorii Nysseni ordinatione scribit: « *Si quid deficit eorum quae ad canones spectant, culpam susti-* « *nent qui manus imposuerunt* (οἱ χειροτονήσαντες); *non is* « *qui omni imposita necessitate ministerium suscipere coactus* « *est* ».[3]

Videri etiam possunt eiusdem Patris Epist. 138 (al. 8) Eusebio episcopo Samosatorum; Ep. 217 (al. 3) Amphilogio de canonibus, can. 51; Ep. 240 (al. 192) Nicopolitanis presbyteris n. 3; Ep. 244 (al. 82) Patrophilo Aegeensi eccl. Epp. n. 6.

136. - **Timotheus Alexandrinus** (381-385): « *Si ordinatorum* « *aliqui aut ordinantium* (τινες τῶν χειροτονηθέντων ἢ τῶν χει-« ροτονουμένων), *ob circumstantiam quamdam illis occurrentem,* « *repudiaverunt ordinationem, vel comas nutrierint, ut non-* « *nulli fecerunt, an oportet eos recipi in communionem, utique* « *poenitentes, necne?* ».[4]

137. - **Theophilus Alexandrinus** (385-412): « *Ordinationis* « *sacerdotalis haec sit norma, ut omnes sacerdotes consentiant* « *et eligant, et tunc episcopus eos dignos iudicet et assentien-* « *tibus ipsi presbyteris, in media ecclesia manus imponat* (χειρο-

1 *Epist.* 122 (al. 313), l. c. col. 541; cfr. *Epist.* 121 (al. 195) Theodoto Episcopo Nicopolitano.

2 *Epist.* 188 (al. 1) can. 1, l. c., col. 668.

3 *Epist.* 225 (al. 385), l. c. col. 841.

4 *Responsa canonica, qu.* 21; cfr. *qu.* 23, apud Pitra *Iur. eccl. Graec. hist. et monum. tom. 1, pag. 643.*

« τονεῖν) *praesente populo et episcopo alloquente an etiam* « *populus ei testimonium ferre possit. Ordinatio* (χειροτονια) « *non fiat clanculum. Ecclesia enim pacem habente, decet,* « *praesentibus sanctis, ordinationes* (χειροτονίας) *fieri in eccle-* « *sia* ».[1]

138. - **S. Gregorius Nanzianzenus** *in Oratione in seipsum et ad patrem et Basilium Magnum* ordinationem manus impositioni adscribit: « *Idcirco,* inquit, *me in medium producis, et* « *suffugienti manum iniicis ac iuxta te collocas... Idcirco me* « *Pontificem ungis ac podere cingis, capitique cidarim imponis,* « *atque holocausti spiritualis altari admoves et initiationis* « *vitulum mactas, manusque spiritui consecras et sancta san-* « *ctorum spectatum introducis verique illius tabernaculi quod* « *non homo sed Dominus fixit ministrum efficis* ».[2] In oratione quoque funebri in patrem loquitur de ordinatione episcopi Caesariensis, nullum aliud symbolum sacrum indicans quam manuum impositionem.[3]

139. - **S. Epiphanius** pariter praeter manus impositionem ordinationis signum efficax non cognoscit. « *Qui,* ait, *nescio* « *quid somniantes, licet episcopalis ordinis impositionem ma-* « *nuum non recepissent, nihilominus ea quae episcoporum sunt* « *agere temere ausi sunt* ».[4]

140. - **S. Gregorius Nyssenus.** Ex iis quae narrat de sacerdotali ordinatione S. Gregorii Thaumaturgi plane apparet uni manuum impositioni cum oratione sacri Ordinis collationem fuisse tributam. « *Magnus,* inquit, *ille vir Phaedimus* (Ama- « sensium ecclesiae antistes) *nihil intentatum reliquit; sed, licet* « *omni machinatione atque solertia esset usus, virum* (Gregorium « Thaum.) *ad sacerdotium adducere non potuit, quippe qui* « *innumeris oculis circumspiciebat ne quando sacerdotis manu* « *caperetur. Uterque inter se studio certabant, ille quidem desi-* « *derio capiendi, hic vero manus persequentis effugiendi. Scie-*

[1] *Commonitorium,* can. 6, apud Pitra, l. c., pag. 647. Migne P. G. 65. 39.

[2] *Orat. 10, n. 4.* Migne P. G. 35. 830.

[3] *Orat. 18, n. 33. 34.* Migne, col. 1027.

[4] *Advers. haer. lib. 3. Expositio fidei n. 13.* Migne P. G. 42. 805.

« *bat enim ille se sacrum Deo donum oblaturum esse; hic* « *autem verebatur, ne cura sacerdotii, tamquam onus quoddam* « *vitae imposita, impedimento sibi esse ad philosophiam. Qua-* « *propter impetu quodam divino Phaedimus ad propositum* « *studium provectus, nihil curans interiectum spatium, quo a* « *Gregorio dirimebatur (quippe ille aberat itinere tridui), sed* « *ad Deum suspiciens, praecatusque ut et ipse et ille pariter* « *in illa hora a Deo respicerentur, loco manus impositionis* « *Gregorio adhibet sermonem Deo consecrans eum, qui cor-* « *pore coram non adesset... sic igitur iugum subire coactus,* « *omnibus posthaec, quae fieri solent, solemnibus in eo pera* « *ctis* etc. ». [1]

141. – **Constitutiones Apostolicae:** [2] « *Sed nec laicis per-* « *mittimus quamlibet sacerdotalium functionum usurpare: ut* « *sacrificium vel baptisma vel impositionem manus* (χειροθε- « σίαν)... *nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui* « *vocatur a Deo. Nam per impositionem manuum episcopi* « *datur haec dignitas* (διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ « ἐπισκόπου) ». [3]

Alibi: « *Neque potestatem damus presbyteris ordinandi* (χει- « ροτονεῖν) *diaconos* ». [4]

Et iterum: « *Episcopum vero praecipimus ordinari* (χειρο- « τονεῖσθαι) *a tribus episcopis... Item iubemus ut presbyter et* « *diaconus ab uno episcopo ordinetur et reliqui clerici: utque* « *nec presbyter nec diaconus clericos ex laicis manus imposi-* « *tione promoveant* ». [5]

[1] *De vita S. Greg. Thaum.* Migne P. G. 46. 909.

[2] *Constitutiones Apostolicae,* Clementis nomen prae se ferentes, a Beveregio *De can. apost.* temporibus Apostolorum adscribuntur; a I. B. Cotelerio (Migne P. G. 1. 513.) ad epocham post apostolicam aetatem ante Epiphanium referuntur; a Mansi *Concil. I, 254* et Card. Pitra *Ius eccl. Graec.* Praef. n. 17, saeculo III et principio saec. IV adiudicantur. Recentiores vero critici uti Funk *Didascalia et Const. Apost.* et Bardenhewer, *Patrol. § 83* (ed. 1910) morienti potius saeculo IV vel nascenti V tribuenda esse contendunt.

[3] *Lib. 3, cap. 10.* Migne P. G. 1. 787.

[4] Ibid. *cap. 11.*

[5] *Lib. 4, cap. 20.*

142. - In alio loco agunt de ordinatione episcopi, sacerdotis et diaconi.

In ordinationi episcopi audit: « *silentioque facto unus ex « primis episcopis una cum duobus aliis prope altare stans, « reliquis episcopis et presbyteris tacite orantibus, atque dia- « conis divina evangelia super caput eius qui ordinatur aperta « tenentibus, dicat ad Deum: Invocatio in impositione manus « episcoporum* (ἐπίκλησις ἐπι χειροτονίας ἐπισκόπων): *Qui es Here « Domine Deus* etc. ».[1]

De sacerdotum ordinatione praescribunt: « *Cum presbyte- « rum ordinas, Episcope, manum super caput eius ipse impone, « adstante tibi presbyteris necnon diaconis; et orans dic: Do- « mine omnipotens, Deus noster,* etc. ».[2]

De diaconis vero: « *Diaconum efficies, Episcope, imponens « ei manus, adstante tibi cuncto presbyterio cum diaconis et « orans dices: Deus omnipotens, verax,* etc. ».[3]

Postremum differentiam inter episcopatum ac presbyteratum uno verbo signanter indicant: « *Episcopus ... manus imponit « ordinando* (χειροτονεῖ) ..... *Presbyter non ordinat* (οὐ χειρο- « τονεῖ) ».[4]

143. - **Canones Apostolorum**: *can. 1:* « *Episcopus a duobus « vel tribus episcopis manus impositione constituatur* (χειρο- « τονείθω) - *can. 2: Presbyter ab uno episcopo impositione « manus ordinetur, et diaconus et reliqui clerici* ».[5]

144. - **Ambrosiaster**: in epistolam S. Pauli ad Timotheum: « *Gratiam,* inquit, *dari ordinatoris significat per prophetiam « et manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi « doctor futurus idoneus; manus vero impositiones verba sunt « mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus* ».[6]

145. - **S. Optatus Milevitanus** causam narrans et originem schismatis Donatistarum, ordinationem scilicet Caeciliani: « *Tunc,*

[1] *Lib. 8, cap. 4 et 5.*

[2] *Ibid. cap. 16.*

[3] *Ibid. cap. 17.*

[4] *Ibid. cap. 28.*

[5] Labbé Colet, *Concilia tom. 1, col. 26.*

[6] *In epist. 1 ad Tim. cap. 4, 14,* Migne P. L. 17. 475.

« ait, *suffragio totius populi Caecilianus eligitur: et manus* « *imponente Felice Autumnitano episcopus ordinatur* ».[1]

146. - In operibus S. Ambrosii, S. Hilarii Pictav., S. Eusebii Vercellensis, Lactantii aliorumque scriptorum huius quarti saeculi, quantum invenire potui, symboli sacramenti Ordinis mentio non fit, sicut neque in operibus ac epistolis S. Athanasii et in Catechesibus S. Cyrilli Hierosolymitani. Patres, ut notum est ac per se patet, de Sacramenti signo divino non loquebantur nisi aliquis occasionem ipsis praeberet de eo sermonem instituendi.

147. - Saeculo itaque quarto, ut ex Patrum scriptis apparet, in tota Ecclesia per orbem dispersa alius ordinationis ritus cognitus non erat quam manuum impositio et oratio. Iam hic illic commemoratos videmus (ut apud S. Cornelium, S. Gregorium Nanz., in Constit. Apost.) ritus quosdam adiunctos, qui ad maiorem splendorem administrationis Sacramenti introducti sunt, sed gratia sacramentalis uni manuum impositioni et orationi adscribitur. Neque unquam occurrit mentio aliqua illorum rituum, in quibus recentioribus saeculis sacramentale symbolum quaesitum fuit, uti traditionis libri Evangelii, instrumentorum sacrificii, impositionis manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., quod sane impossibile est explicatu, si ritus illi fuissent in usu.

148. - Saeculo quinto. **S. Ioannes Crysostomus** ordinationem uni orationi ac manus impositioni tribuit: « *Ordinati sunt* « *per orationem: hoc enim est ordinatio: Manus viri superpo-* « *nitur, totum vero Deus operatur, eiusque manus est, quae* « *tangit caput ordinati, si quemadmodum oportet ordinetur* ».[2]

Similiter in *Homil. in 1 Epist. ad Timoth.* expresse dicit manuum impositione ordinationem perfici. De alia caeremonia sacrae ordinationis verba non facit.

149. - Referre hic etiam iuvat miraculum, quod in sua *Vita S. Ioannis Chrysostomi* narrat saeculo x *Symeon Metaphrastes, quodque non solum testimonium hominis* continet, verum etiam

[1] *De Schismate Donat. contra Parmenian., lib. 1, num. 18, 19*, P. L. 11. 918.

[2] *Hom. 14 in Act. Apost. n. 3.* Migne P. G. 60. 116.

testimonium Dei, manuum impositione peragi sacramenti Ordinis collationem. « *Cum,* inquit, *ad aram sacram accessisset* (Ioan-« nes) *et quidem, ut praescriptum est, caput Pontifici submi-« sisset, ipsi autem eius manus fuissent impositae, miraculum « quoddam* » accidit, columba scilicet super eum descendit.[1]

150. - Occasione quoque horum locorum S. Ioannis Crysostomi non abs re est notare, veteres communiter interpretes Scripturae Sacrae, uti *Theodoretum, Oecumenium, Theophilactum,* etc., in suis Commentariis in *Epist. ad Timotheum primam* et in *Acta Apostolorum cap. 6,* ubi occasio se praebet dicendi aliquid de sacramento Ordinis, aperte dicere solere sacram potestatem sacerdotii conferri manus impositione et oratione.

151. - **S. Innocentius I** ad Episcopos Macedones respondens quaestioni quid tenendum sit de ordinatione ab haeretico facta, symbolum sacramentale Ordinis clare nominat. « *Cum nos dica-« mus,* inquit, *ab haereticis ordinatos vulneratum per illam « manus impositionem habere caput ... ubi poenitentiae reme-« dium necessarium est, illic ordinationis honorem locum « haberi non posse* (*decernimus*) ... *Certe quia quod non habuit « dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pra-« vam manus impositionem dedit: et qui comparticeps factus « est damnationis, quomodo debeat honorem accipere invenire « non possum* ».[2]

152. - **S. Hieronymus** non minus clare illud tangit: « *Ple-« rique nostrum,* ait, *χειροτονίαν, id est* ordinationem clerico-« rum, *quae non solum ad imprecationem vocis, sed ad imposi-« tionem impletur manus* (*ne scilicet, ut in quibusdam risimus « vocis imprecatio clandestina clericos ordinet nescientes*), *sic « intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timo-« theum:* Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris « peccatis alienis (I Tim. 5, 22). *Non est enim peccatum leve, « mittere margaritas ante porcos, et dare sanctum canibus*

[1] Migne P. G. 114. 1075.

[2] *Epist. 17* (al. 22) *cap. 3.* Migne P. L. 20. 530. Innocentius non negat *valorem* ordinationis ab haereticis factae, sed ipsi *honorem* denegat. Cfr. eiusdem epist. 3.

« (Matth. 7): *et ordinationem clericatus, nequaquam sanctis, et « in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere, et vilium « officiorum ministris: quodque his dedecorosius est, mulier- « cularum precibus* ».[1]

153. Quibus verbis S. Hieronymus positive dicit sacram Ordinationem absolvi duobus, manus impositione et precatione; simulque aperte excludit qualemcumque aliam caeremoniam, specialiter instrumentorum traditionem. Quomodo enim, si haec fuisset in usu ac essentialis fuisset habita Sacramento, S. Doctor loqui potuisset de clandestina oratione, sola vocis imprecatione peracta? Certissime risum non limitasset ad solam omissionem impositionis manus.

154. - **S. Augustinus** saepenumero tangit signum gratiae sacramenti Ordinis, illudque in sola manus impositione et oratione reponit.

In epistola de causa inter laicum Spem et Bonifacium presbyterum dicit: « *Sed cum promoveri in clericatum sive illic « per me, sive alibi per litteras meas vehementissime cona- « retur* (Spes), *ego autem nullo modo adducerer ei homini, de « quo tantum mali existimarem, manus ordinationis imponere, « aut per commendationem meam alicui fratri meo eum subin- « troducere, turbulentius agere coepit, ut si ipse in clericatum « non promoveretur, nec presbyter Bonifacius in suo grado « esse permitteretur* ».[2]

155. - Scribens contra Donatistas refutat errorem Sacramenta valide non ministrari a peccatoribus. « *Si ergo,* inquit, *ad hoc « valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non « audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quo- « modo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam « baptismi vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super « capita eorum, quibus manus imponitur? Quae tamen omnia « fiunt et valent etiam per homicidas* ».[3]

[1] *Comment. in Isaiam cap. 58.* P. L. 24 569.

[2] *Epist. 78* (al. 137) Migne P. L. 33. 268.

[3] *Lib. 5 de bapt. contra Donat. cap. 20.* Migne P. L. 43. 190.

In libro *de gestis cum Emerito*, loquens de ordinatione Maximiani dicit: « *Caeteri autem non aderant ordinationi eius, « quando manus imposita est* ».[1]

156. - In opere *de Trinitate* divinitatem Christi ex eo probat quod apostolis dixit *Accipe Spiritum Sanctum*. « *Quomodo ergo,* « inquit, *Deus non est qui dat Spiritum Sanctum? Immo quan-* « *tus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipu-* « *lorum eius dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veni-* « *ret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.* « *Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ec-* « *clesia* ».[2]

Profecto S. Doctor hoc modo argumentatus non esset si in sacra ordinatione usurpata fuisset formula *Accipe Spiritum Sanctum*, etc.

157. - **S. Coelestinus I** loquens de ordinatione Maximiani: « *Interfuimus,* inquit, *nec nos dixerimus absentes cum eius* « *capiti verba mystica dicerentur* ».[3] Quibus verbis sanctus Pontifex clare enuntiat manus impositioni cum mysticis verbis deprecationis sacram ordinationem esse adscribendam.

158. - **Theodoretus Cyrensis** narrat quomodo Episcopus Flavianus sanctum quemdam sed simplicissimum solitarium, Macedonium nomine, quem dolo e montis vertice adduxerat, consueta manus impositione sacerdotem ordinavit. « *Cumque,* « ait, *peracta liturgia hoc illi quidam indicasset* (*ignorabat* « *enim prorsus quid egissent*), *primum quidem conviciis ver-* « *bisque asperis proscidit universos: deinde arrepto baculo, in* « *quo innixus propter senium incedebat, pontificem ipsum et* « *alios qui aderant insecutus est, ordinationem hanc ratus* « *montis verticem sibi optatamque habitationem erepturam* ». Invitatus porro ut die Dominica celebritati interveniret: « *ille* « *ad eos qui venerant: An vobis,* ait, *non sufficiunt quae iam* « *acta sunt, sed iterum me presbyterum creare vultis? Et respon-* « *dentibus illis fieri non posse, ut bis eadem fiat manuum*

[1] *Num. 11.* Migne P. L. 43. 705.

[2] *De Trinit. lib. 15, cap. 26.* Migne 42. 1093.

[3] *Epist. ad Synod. Ephes.* Migne P. L. 50. 539.

« *impositio, non acquievit* ».[1] Ubi et explicite dicitur manuum impositione creari sacerdotem, et implicite sed clare excluditur tum traditio instrumentorum tum impositio manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris*, etc. Impossibile siquidem est ut Macedonius non intellexisset quid facerent, si huiusmodi caeremoniae adhibitae fuissent.

159. - Idem Theodoretus alibi narrat ordinationem reclusi Salamanis, evidenter sacerdotalem gratiam manus impositione et deprecatione communicatam dicens et omnem instrumentorum porrectionem facto narrato excludens. » *Antistes*, ait, « *viri cognita virtute, sacerdotii donum impertire illi cupiens,* « *ad eum venit; et effracta domunculae parte ingressus est,* « *manum illi imposuit, precationemque peregit, multisque* « *illum verbis affatus, gratiam, qua donatus fuerat, indi-* « *cavit* ».[2]

160. - Alibi narrans ordinationem Antiochi episcopi Samosatensis: « *Cum divinus*, inquit, *Eusebius, post multa certa-* « *mina, et pares numero victorias, martyrum exitu vitam* « *clausisset, congregatum est, ut assolet, gentis concilium,* « *advenit et Iovinus Perrensis, tunc episcopus, qui Arianorum* « *communioni aliquo tempore adhaeserat. Itaque cum Antio-* « *chum omnes patruo successorem elegissent, adductumque ad* « *sacram mensam genua flectere cogerent, conversus ille, ut* « *Iovinum vidit capiti suo dexteram imponentem, manum re-* « *pulit et e consecrantium numero segregari eum iussit, negans* « *se dexteram ferre illam posse, quae mysteria per blasphe-* « *miam consecrata receperat* ».[3]

161. - **Isidorus Pelusiota** ad Eusebium Epp. scribit: « *Multi te* « *traducunt ut pecuniis ac non Spiritui manuum impositionem* (*τὰς χειροθεσίας*) *in sacris initiationibus committentem* ».[4] Et in alia epistola iterum eum monet: « *Neque enim manuum* « *impositiones* (*χειροθεσίας*) *auro committere licet nec eorum*

[1] *Relig. Hist. cap. 13.* Migne P. G. 82. 1402.

[2] L. C. *cap.* 19. col. 1427.

[3] *Historiae eccl. lib. 4, cap. 13.* Migne P. G. 82. 1151,

[4] *Epist. lib. 1. epist. 26.* Migne P. G. 78. 198.

« *qui ad sacros Ordines adducuntur, vitam ac mores igno-*
« *rare* ».[1] Lucium quoque Pelusii Archidiaconum monet quomodo episcopum adiuvare debeat nec lucrum sibi quaerere occasione sacrarum ordinationum: nec debes, ait « *divinum* « *sacrarium per avaritiam contaminare, dum opes tibi ipsi* « *per numinariam manuum impositionem aggeris. Dominus* « *enim eos, qui columbas vendebant, flagris a templo expulit* ».[2]

162. - **Syrus quidam** ignotus scriptor huius saeculi quinti, cuius opera inter spuria S. Iustini inveniuntur: « *Haeretici ad* « *coetum orthodoxorum venientis lapsus emendatur, pravae* « *quidem opinionis mutatione sententiae ..... ordinationis vero* « *manuum impositione* (τῆς δὲ χειροτονίας τῇ χειροθεσίᾳ) ».[3]

163. - **S. Leo Magnus** scribens ad episcopos provinciae Mauritaniae Caesariensis, manus imponere idem esse dicit ac « *sacer-* « *dotalem honorem tribuere* ».[4]

Eodem sensu loquitur in epistola ad Dioscorum, Alexandrinum episcopum, ubi expresse Ordinationem reponit in manus impositione et oratione, atque sacerdotum ac diaconorum Ordinationem non alium nomine quam « *sacra benedictione* » vocat.[5]

164. - **Episcopi Tarraconenses** anno 465 scribentes ad Papam Hilarium et conquerentes de ordinatione facta a Silvano Calaquiritano episcopo, manus impositionem aperte nominant sacramentale signum. « *Denique,* inquiunt, (*Silvanus*) *contra vetu-* « *statem canonum contra synodi constituta, alterius fratris* « *nostri presbyterum, spiritu tantum praesumptionis accensus,* « *in eodem loco, qui illi fuerat destinatus, cui invito et repu-* « *gnanti imposuerat manus, et qui nostro iam coetui fuerat* « *aggregatus, episcopum fecit* ».[6]

165. - **Testamentum D. N. I. C.** hic pariter referre iuvat, licet etiam inter documenta conciliaria vel liturgica recenseri

[1] *Ibid. epist. 30.*
[2] *Ibid. epist. 29.* Cfr. etiam. *lib. 5 epist. 357.*
[3] *Qq. et responsiones ad Orthodox. qu. 14.* Migne P. G. 6. 1262.
[4] *Epist. 12 (al. 1) cap. 2.* Migne P. L. 54. 615.
[5] *Epist. 9. (al. 11) cap. 1.* ibid. 624.
[6] Migne P. L. 58. 15.

possit. Anno 1899 Ign. Ephraem II Rahmani, Patriarcha Antioch. Syror. primum edidit Syriace ac Latine, variis illustratum adnotationibus textum antiquissimi *Testamenti D. N. I. C.* Ipse quidem putabat eius auctorem ante Tertullianum, saec. II, vixisse.[1] Alii tamen critici, uti Funk *Das Testament unseres Herrn u. s. w.*, quem sequitur Bardenhewer *Patrologie § 83*, illud secundae medietati saeculi V adiudicant.

166. - Praemissis qualitatibus boni *episcopi*, dicit:

« *Qui talis ergo fuerit, die dominica suscipiat manus impo-*
« *sitionem, omnibus consentientibus ipsius ordinationi, testi-*
« *moniumque de eo perhibentibus, una cum cunctis presbyteris*
« *et episcopis vicinis.*

« *Iidem Episcopi manus, postquam eas praecedenter lave-*
« *rint, super illum imponant. Presbyteri autem prope eos (i. e.*
« *episcopos) stent quieti cum timore, elevatis sursum cordibus*
« *in silentio.*

« *Episcopi super illum imponentes manus dicant: Impo-*
nimus manus nostras super servum Dei istum, etc.

« *Post haec unus episcopus praeceptum habens ab episcopis*
« *reliquis, imponat super illum manus dicens invocationem*
« *ipsiusmet ordinationis ita:*

« ORATIO IMPOSITIONIS MANUS SUPER EPISCOPUM.

« *Deus, qui omnia in virtute fecisti et firmasti*, etc. ».[2]

Et sic absolvitur tota episcopi ordinatio, in qua, ut videre est, nec liber Evangeliorum imponitur, nec formula *Accipe Spiritum Sanctum* occurrit, sed una manus impositione et oratione sacer ordo confertur.

167. - Inferius expositis requisitis boni sacerdotis, eius ordinationem enarrat:

« *Ordinatio presbyteri fiat hoc modo: Universus coetus sacer-*
« *dotalis adducunt eum (i. e. ordinandum), et episcopus ma-*
« *num imponat super caput ipsius, contingentibus et tenen-*
« *tibus eundem presbyteris.*

[1] *Proleg. num. V.*

[2] *Num. XXI.* pag. 27.

« *Incipiat episcopus sic dicere:*

« ORATIO IMPOSITIONIS MANUS SUPER PRESBYTERUM.

« *Deus Pater D. N. I. C., qui es ineffabilis*, etc. ».[1]

Qua finita Spiritus Sancti invocatione a sacerdotibus et a populo neosacerdoti osculum sanctum datur.

Quisque videt ibi neque de instrumentorum traditione neque de formula *Accipe Spiritum S. quorum remiseris*, etc., verba fieri neque ipsis locum dari.

168. - Postea enumerantur qualitates et officia diaconi, eiusque ordinatio describitur: « *Ordinatio diaconi ita fiat: epi-*
« *scopus solus ei manum imponit; non enim ad sacerdotium*
« *ordinatur, sed ad ministerium famulatus episcopi et eccle-*
« *siae.*

« *Episcopus oret super diaconum:*

« ORATIO IMPOSITIONIS MANUS SUPER DIACONUM.

« *Deus qui omnia creasti, et per verbum ornasti*, etc. ».[2]

Sine ulla traditione libri Evangeliorum formulaque convenienti, una manus impositione et oratione diaconus constituitur.

169. - **Hippolyti Canones** hic quoque locum suum habeant, quamquam sicut Testamentum D. N. I. C. etiam inter documenta disciplinaria aut liturgica recenseri possunt. Achelis « *Die ältesten Quellen des Orient. Kirchenrechts*, quem sequitur Duchesne « *Origines du Culte Chrétien* », canones tertii saeculi opus habet, probabiliter ab ipso Hippolyto compositi. Funk, cui adhaeret Bardenhewer *Patrologie § 83*, autumat canones Hippolyti ad declivum saeculum quintum esse referendos. Quidquid est de aetate, certissimum antiquissimae aetatis testimonium dant de ritu s. Ordinationis.

170. - De *episcopi* ordinatione haec habet: « *Episcopus eli-*
« *gatur ex omni populo ..... - In ea autem hebdomada, in qua*
« *ordinatur, dicat populus*: " *Nos eligimus eum* „ - *Deinde*
« *silentio facto in toto grege post ἐξομολόγησιν, omnes pro eo*

[1] *Num. XXX.* pag. 69.

[2] *Num. XXXVIII.* pag. 91.

« *orent dicentes:* " *O Deus corrobora hunc quem nobis prae-*
« *parasti* „. - *Deinde eligatur unus ex episcopis et presbyteris,*
« *qui manum capiti eius imponat et oret, dicens:* " *O Deus*
« *pater D. N, I. C., pater misericordiarum,* etc. ». - *Post haec*
« *convertant se omnes ad eum, osculantes eum in pace, quia ille*
« *hoc meretur* ». [1]

In quibus, uti patet, et impositio libri Evangeliorum et formula *Accipe Spiritum S.* omnino desiderantur.

171. - Circa *sacerdotalem* ordinationem praescribunt: « *Si*
« *autem ordinatur presbyter, omnia cum eo similiter agantur*
« *ac cum episcopo, nisi quod cathedrae non insideat. - Etiam*
« *eadem oratio super eo oretur tota ut super episcopo, cum*
« *sola exceptione nominis episcopatus* ». [2]

172. - De *diaconi* ordinatione praecipiunt: « *Si ordinatur*
« *diaconus, observentur canones singulares et dicatur haec*
« *oratio super eum, neque tamen ad presbyteratum pertinet sed*
« *ad diaconatum, sicut famulum Dei ... Episcopus autem ma-*
« *num imponat ei et hanc orationem dicat super eum, loquens:*
« *O Deus, Pater D. N. I. C., rogamus te enixe ut effundas*
« *Spiritum tuum sanctum,* etc. ». [3]

173. - Quod supra notavimus de saeculo quarto, hoc pariter videmus in saeculo quinto. Ex sacrorum scriptorum luculentissimis testimoniis plena certitudinis luce apparet, illa aetate incognitam plane fuisse in Ecclesia traditionem instrumentorum in sacra ordinatione, atque sacramentum Ordinis sola impositione manuum atque oratione fuisse ministratum.

174. - Saeculo sexto. Primo loco venit **Pseudo-Dionysius,** qui accuratissime describit ritus, quibus sacri ministri initiantur.

« *Pontifex quidem,* ait, *qui ad pontificiam consecrationem*
« *est evectus, utroque genu flexo ante altare, supra caput*
« *habet Scripturas a Deo traditas, manumque Pontificis, atque*

[1] *Num. 7 sq.* apud Duchesne *Origines du Culte Chrétien App. 6.*
[2] *Num. 30 sq.*
[3] *Num. 33 sq.*

« *hoc modo a Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis* « *adprecationibus consecratur. - Sacerdos vero utroque poplite* « *ante altare flexo in capite habet dextram Pontificis et hoc* « *modo ab illo Pontifice qui illum consecrat sanctis invoca-* « *tionibus consecratur. - Porro diaconus unum genu flectens* « *ante divinum altare supra caput habet dextram Pontificis* « *ipsum consecrantis et ab eo consecratur invocationibus ad* « *ministrorum consecrationem accommodatis* ».[1]

Uti patet secundum auctorem libri *de eccles. hier.* ordinis potestas sola *manus impositione* et *oratione* confertur. Ad traditionem instrumentorum et libri Evangeliorum vel ad impositionem manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum* ne verbo quidem alluditur. Atque hoc eo magis stringit quod sic dictus Dionysius ex professo Ordinationis ritus exponit, atque insuper mystice ac tropologice explicat.

Adiunge interpretes quoque Dionysii, uti Ioannem Scythopolitanum, S. Maximum, Pachymeram nullam aliam ordinationis caeremoniam commemorare.

175. - **S. Hormisdas** Papa anno 517 scribens ad universos episcopos Hispaniae paucis licet verbis clare tamen agit de ritu sacrae ordinationis, collationem Ordinis uni adscribens impositioni manuum et orationi.

« *Hoc quoque,* ait, *ad praemissa adiungimus, ne benedi-* « *ctionem, quae divina esse creditur, per impositionem manus* « *quis pretio comparet* ».[2]

176. - **Felix** PP. IV eodem sensu anno 528 ad Caesarium Arelatensem scribit de ordinatione laicorum. « *Vas electionis,* « inquit, *ad suum vernaculum Timotheum scribit dicens: Ne-* « *mini cito manus imposueris, nec communicaveris peccatis* « *alienis* (*1 Tim. 5*). *Quid sibi vult: ne citius imponas manus?* « *Quia dignitas quae datur, ideo datur, ut duret immobilis.* « *Debet enim, antequam concedatur, longa sub deliberatione* « *tractari* ».[3]

[1] *De eccl. Hierarchia cap. 5,* § 7. Migne P. G. 3. 510.

[2] *Epist. 25, n. II.* Migne P. L. 63. 424.

[3] Migne P. L. 65. 11.

177. - **Fulgentius Ferrandus**, diaconus ecclesiae Cathaginiensis, in sua Canonum epitome sequens quoque refert statutum: « *Ut episcopus, qui suscepta manus impositione ministerium* « *recusaverit, excommunicatus maneat donec consentiat* ».[1]

178. - **Primasius** Adrumetanus episcopus in commentario in epist. 1 ad Timoth. 5, 25 « *Manus cito nemini imposueris.* « *Non est leve peccatum*, inquit, *mittere margaritas ante porcos* « *et dare sanctum canibus et ordinationem clericatus nequa-* « *quam sanctis et in lege doctissimis, sed asseclis suis tri-* « *buere* ».[2]

Et in verba epist. 2. ad Timoth. 1, 6: « *Admoneo te ut resu-* « *scites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum* « *mearum. Benedictionem, quam in episcopatu per manus eius* « *impositionem acceperat* ».[3]

179. - **Crisconius** quoque Africanus episcopus († 570) perpetuo convertit Ordinationem cum manuum impositione. Ita in can. 60, 76, etc.

« *Qui absolute ordinatur*, ita audit eius canon 196, *decrevit* « *synodus irritam haberi huiuscemodi manus impositionem, et* « *nusquam posse ministrare ad ordinantis iniuriam* ».[4]

180. - **S. Gregorius Turonensis** in sua Historia Francorum: « *Episcopi tamen*, inquit, *qui advenerant ad sanctum Gallum* « *sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni pre-* « *sbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum:* « *veni, consenti nobis, et benedicentes consecremus te ad epi-* « *scopatum* ».[5]

Per benedictionem hic, sicut in antiquis Ritualibus ac Pontificalibus aliud non intelligitur quam manus impositio et oratio, ut elucet quoque sequenti testimonio.

181. - **Venantius Fortunatus**, episcopus Pictaviensis in vita S. Maurilii episcopi Andegavensis scribit: « *Tunc Maurilius*

[1] *Breviatio canonum n. 7.* Migne P. L. 67. 949 et 88. 818.
[2] Migne P. L. 68. 669.
[3] Ibid.
[4] *Breviarium Canonicum.* Migne P. L. 88. 902.
[5] *Historia Francorum lib. 4, n. 6.* Migne P. L. 71. 273.

« *miraculo ac precibus victus, implens praeceptum, suscepit* « *sacerdotium. Nam, ut multi videre meruerunt, quoties beatus* « *Martinus ad sacram consecrandi sacerdotis benedictionem* « *super caput eius extendisset manum semper ei praefata adi-* « *tum dabat columba* ».[1]

182. - En testimonia quae e saeculo VI colligere potuimus. Scriptores illius aetatis sacramentum Ordinis constanter convertunt cum impositione manus et benedictione seu oratione Pontificis neque ullibi vel verbulo alludunt ad instrumentorum porrectionem sive ad manus impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*. Unde profecto concludere fas est, saeculo illo illas caeremonias fuisse incognitas ac certo sacramentum Ordinis sola manuum impositione cum oratione ministratum fuisse.

183. - Saeculo septimo loculentissimum testimonium occurrit

S. Gregorii Magni. Ritus s. Ordinationis ex eius Sacramentario infra referendi sunt. In epistolis loquens de sacerdotis ordinationem dicit:

« *Deus omnipotens per impositionem manuum* (Spiritum « Sanctum) *hominibus tribuit* ».[2]

Alibi: « *Quia enim,* inquit, *ordinando episcopo pontifex ma-* « *num imponit, evangelicam vero lectionem minister legit,* « *confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, sicut* « *pontificem non decet manum quam imponit vendere, ita mini-* « *ster vel notarius non debet in ordinatione eius vocem suam* « *vel calamum venundare* ».[3] Ubi S. Pontifex evidenter asserit s. Ordinationem manus impositione perfici.

184. - **S. Isidorus Hispalensis** saepe loquitur de s. Ordinatione sed nunquam alium ritum quam manus impositionem et benedictionem commemorat atque huic expresse sacrum Ordinem adnectit.

[1] *Vita num. 12.* Migne P. L. 88. 568.

[2] *Epist. lib. 6, ep. 58.* Migne P. L. 77. 793. Cfr. *lib. 9. ep. 106.* Migne loc. cit. col. 1029.

[3] *Decret. 5.* Migne P. L. 77. 1337

In collectione Canon. refert Concilii Chalcedon. Canonem 6, qui audit: « *Neminem absolute* (h. e. sine assignata ecclesia) « *ordinare presbyterum vel diaconum ... eos vero qui absolute* « *ordinantur decrevit sancta synodus vacuam habere manus* « *impositionem* ».[1] h. e. suspensi maneant.

Ex Concilio Hispalensi II refert can. 5, quo nullae declarantur ordinationes, in quibus episcopus imposuerat manus ordinandis, presbyter vero orationes fuderat. De traditione instrumentorum ne mentio quidem fit.[2] Infra num. 212 canonem Concilii referemus.

Ex Concilio Carthaginensi IV notos refert canones infra quoque allegandos.[3]

In *Etymologia* quoque aliam ordinationis materiam quam manus impositionem non commemorat.[4]

185. - In libro *de eccl. officio:* « *Quod vero,* ait, *per manus* « *impositionem a praecessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordi-* « *nantur antiqua institutio est ..... Sic D. N. I. C. per manus* « *impositionem apostolis suis benedixit, sicut in Evangelio* « *Lucae scriptum est:* " *Et produxit eos trans Bethaniam, et* « *elevavit manus suas et benedixit eis, factumque est cum* « *benedixisset illis, discessit ab eis, et ipsi reversi sunt in Ieru-* « *salem cum gaudio magno* „ (*Luc. 24*). *Et in Act. Apost. ex* « *praecepto Spiritus Sancti, Paulo et Barnabae ab Apostolis* « *manus imposita est in episcopatum, et sic missi sunt ad* « *evangelizandum* » (*Act.* 13).[5]

Et ubi agit de subdiaconis: « *Hi,* inquit, *cum ordinantur,* « *sicut sacerdotes et levitae manus impositionem non susci-* « *piunt, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, et* « *ab archidiacono scyphum aquae cum aquaesmanili et manu-* « *tergium accipiunt* ».[6] Ubi ex oppositione clare procedit

[1] Migne P. L. 84. 167.
[2] Migne ibid. 595.
[3] Ibid. col. 200.
[4] *Lib. 7. cap. 12.* Migne P. L. 82. 290.
[5] *Lib. 2, cap. 5, n.* 9. Migne P. L. 83. 782.
[6] *L. c. cap. 10, n. 2.* Migne l. c. col. 791.

sacerdotes et levitas ordinatos fuisse sola manuum impositione.

186. - **S. Eugenius Toletanus** litteris consulit S. Braulium Caesaraug. epp. de quadam ordinatione presbyterali. Ex casus narratione clare apparet ipsius aetate sacerdotalem ordinationem sola manus impositione et benedictione pontificis factam esse. « *Duae res,* inquit, *obortae sunt in ecclesia mea, et quid « remedii adhibeam, nisi consilium vestrum praebuerit, penitus « scientia nostra non habet. De quodam fratre reperimus, qui, « non accepto presbyterii gradu, presbyterii peragit officium, « et ut causam certius agnoscatis omnia singulariter innotesco. Fuit idem ipse frater molestissimus domino meo Eugenio. Rogatus a rege ut eum presbyterum ordinaret, quia « iussioni principis resistere non praevaluit, hoc genus factionis invenit: Duxit eum ad altarium, manum ei non imposuit, et cantantibus clericis in excelso, pro benedictione male- « dictionem effudit, sicut ipse hoc personis idoneis et sibi « charissimis postmodum publicavit, coniurans ut hoc quamdiu « ipse viveret, reticerent. Quid inde fieri praecipit vestra pru- « dentia, cita me iussione certifica; nam nescio aut si iste pre- « byter habeatur* ».[1]

187. - **S. Braulius** respondit: « *Dicis a te in epistolis tuis « duo observata fuisse in ecclesia tua, unde contabescit anima « tua, et quid remedii adhibeas penitus scientia vestra non « habere; scilicet de quodam fratre,* etc. », repetit totam speciem facti et concludit: « *Quid inde fieri debeat a me iubes « expetere, quia ignorare vos dicitis, utrum presbyter habea- « tur* ».[2] S. Braulius indicat deinde quomodo procedendum sit quidque investigandum ad sciendum utrum sacerdos habendus sit necne. Atvero de porrectione calicis ac patenae cum formula *Accipe potestatem*, etc., sicut de impositione manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., ne verbum quidem.

188. - **Taio** Caesaraug. epp., agens « *de episcopis qui pro « ordinationibus munera libenter accipiunt* » sacram Ordina-

[1] *Epist. 1 ad Braul.* Migne 87. 403.

[2] *Epist. 36.* Migne P. L. 682.

tionem uni manus impositioni adnectit. « *Redemptor noster,* « inquit, *flagello de resticulis facto de templo turbas eiecit,* « *cathedras vendentium columbas evertit. Columbas quippe* « *vendere est impositionem manus, qua Spiritus accipitur, non* « *ad vitae meritum, sed ad praemium dare ... Plerumque sacer-* « *dos, etsi exteriora dona, quae terrenae forsitan necessitati* « *congruunt, pro impositione manuum accipere recusat, plus* « *est quod sibi retribui appetit, cum ultra meritum laudari* « *desiderans, munus ab ore quaerit* ».[1]

Conferri adhuc potest **S. Martinus** Papa *Epist. 5* ad Ioannem epp. Philadelph. [2]

189. - In scriptis ergo, quae ex saeculo septimo nobis supersunt, nunquam de caeremonia porrectionis instrumentorum sermo fit. Quod profecto explicari non potest, si fuisset in usu. Tamquam ritus sacramenti Ordinis non indicatur nisi manus impositio et oratio. Unde eadem ac pro praecedentibus saeculis conclusio propatula est.

190. - Saeculo octavo. **S. Beda** in *Opusc. de Off. de ieiun. 4 temp.* loquens de sacra Ordinatione solam manus impositionem commemorat.[3] Alibi expresse impositioni manus Spiritus Sancti communicationem Ordinisque sacramenti collationem tribuit: « *Vendunt columbas qui acceptam Spiritus Sancti gra-* « *tiam non gratis, ut praeceptum est, sed ad praemium dant,* « *qui impositionem manus, qua Spiritus Sanctus accipitur, etsi* « *non ad quaestum pecuniae, ad vulgi tamen favorem tribuunt,* « *qui sacros ordines non ad vitae meritum sed ad gratiam lar-* « *giuntur* ».[4] Nullibi, etsi subiecta materia ad id invitabat, de instrumentorum traditione loquitur. Unde eam non cognovisse videtur ac certo ei vim Sacramenti non tribuit.

191. - **S. Gregorius III** sacram sacerdotalem Ordinationem in pontificis benedictione reponit. « *Presbyteros vero,* ita scribit ad Bonifacium archiep., *quos ibidem reperisti, si cogniti fue-*

[1] *Sententiarum lib. 2, cap. 40.* Migne P. L. 80. 839.

[2] Migne P. L. 87. 153.

[3] Migne P. L. 94. 539.

[4] *Lib. 1. homil. 22.* Migne P. L. 94. 116.

« *rint viri a quibus sunt ordinati, et dubium est eos episcopos* « *fuisse an non, qui eos ordinaverunt; si bonae actionis et* « *catholici viri sunt illi presbyteri, et in ministerio Christi* « *omnique lege sancta edocti atque apti, ab episcopo suo bene-* « *dictionem presbyteratus suscipiant et consecrentur et sic mini-* « *sterio sacro fungantur* ». [1]

192. - Alibi scribit: « *Episcopus, presbyter aut diaconus, si* « *gradu suo iniuste deiectus, in secunda synodo innocens repe-* « *riatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos* « *recipiat. Quodsi episcopus fuerit, recipiat coram altare de* « *manibus episcoporum orarium et planetam; si diaconus ora-* « *rium et albam; subdiaconus patenam et calicem. Sic et reliqui* « *gradus ad reparationem sui suscipiant quae cum ordina-* « *rentur perceperant* ». [2] Ex textu et contextu patet quamdam lacunam adesse de sacerdotis restitutione, amanuensi tribuendam. Ex Concilio Toletano infra n. 213 referendo ex quo edictum hoc evidenter desumptum fuit, facile expletur. Quo evidens fit testimonium, aetate illa nec sacerdoti instrumenta nec diacono librum Evangelii in ordinatione fuisse tradita.

193. - **S. Ioannes Damascenus**. Neque in eius « *Dialectica* » neque in libris « *De Fide Orthodoxa* », neque in brevi « *Expositione in epistolas* » B. Pauli, neque in « *Sacris Paralelis* » aliquid invenire potui de ritu sacrae Ordinationis.

In libro « *de Haeresibus* » loquens de Massalianis dicit eos adeo perversos esse ut homines criminosos « *in clericos ordinandos offerant... testimonio deceptis episcopis, ut illis manus imponant* », [3] ordinationem cum manus impositione evidenter convertens.

194. - Saeculo octavo pauci floruerunt scriptores et de argumento nostro pauca dixerunt. Nihilominus ex relatis, quae scripta sunt diversis decenniis huius saeculi diversisque locis, quaeque, ut infra videbimus, ample confirmantur iis quae in libris liturgicis inveniuntur, clare apparet sacram Ordinatio-

[1] *Ep. 7.* Migne P. L. 89. 584.

[2] *De diversis criminibus num. 33.* Migne P. L. 89. 593.

[3] Migne P. G. 94, 734.

nem illa aetate alii ritui non fuisse tributam quam soli manus impositioni.

195. - Saeculo nono. **B. Albuinus**. Licet multum sit in suis ad diversos episcopos litteris in exponendis eorum officiis necnon in eos exhortando ad omnibus sancte fungendum, de ritu sacrae Ordinationis sermonem non instituit. - Idem dicendum de ipsius opere *Exposit. in Epist. S. Pauli ad Titum.*

Similiter in Opusculo quod inscribitur « *Sacramentorum* », sicut etiam in aliis eius Opusculis sive dogmaticis sive liturgicis sive moralibus ritum sacrae Ordinationis non tangit. Indirecte tamen ac implicite rem attingit hortando ad Ordines Romanos in sacris peragendis servandos. « *Non despiciant,* « scribit, *Romanos discere Ordines quatenus caput ecclesiarum « Christi* ».[1] Et alibi: « *De ordinatione et dispositione Missalis « libelli nescio cur demandasti. Numquid non habes Romano « more ordinatos libellos sacratorios abundanter? Habes quoque « et veteris consuetudinis sufficienter Sacramentaria maiora; « quid opus est nova condere dum vetera sufficiunt?* ».[2] Iamvero Sacramentaria Ordinesque Romani, ut ex infra referendis patebit, nullam cognoscunt in Ordinationibus superioribus instrumentorum traditionem, sed solam habent manus impositionem cum oratione.

196. - **Amalarius Metensis** agens de diversis ordinibus dicit quoque de eorum collatione, indicata singulorum materia. Atvero pro superioribus ordinibus solam ponit manus impositionem, et quoad formam observat, pontificem « *non dare « Spiritum Sanctum sed orare ut veniat super eos, quibus « manus imponuntur* ».[3]

Alibi dicit: « *Quod vero per manus impositionem a prae- « cessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinantur, antiqua est « institutio* ».[4]

[1] *Epist. 56 ad Eanbaldum.* Migne P. L. 100. 224.

[2] *Epist. 65 ad Simeonem sac.* 1. c. 234.

[3] *De eccles. off. lib. 2. cap. 6 seq.* Migne P. L. 105. 1082.

[4] *Regula Canonic. lib. 1. cap. 9.* Migne P. L. 105. 829.

197. - **Walafridus Strabo** in scriptis suis alium Ordinationis ritum quam manus impositionem non commemorat. Conferatur eius *Glossa ordinaria in epist. 1 ad Timoth. cap. 4;* [1] similiter in *epist. 2 ad Timoth. cap. 1.* [2]

198. **Rabanus Maurus** pariter alium sacrae Ordinationis ritum quam manus impositionem non cognovit. Videantur eius *Opusc.* si liceat *chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinare etc.;* [3] eiusque *Enarrationes in epist. 1 et 2 ad Timoth.* [4]

In tractatu *de Clericorum Instit.* accurate describit quae ad singulos ordines eorumque collationem pertinent, et quodnam instrumentum est tradendum. De subdiaconis loquens dicit: « *Hi ergo cum ordinantur non suscipiunt manus impo-* « *sitionem, sicut sacerdotes et levitae, sed patenam tantum et* « *calicem de manu episcopi et archidiaconi schyphum aquae* « *cum aqua, mantile et manutergium* ». [5] Pro diaconis vero et presbyteris ordinandis nullum indicat instrumentum porrigendum, sed sola manus impositione eos promoveri dicit.

199. - **Hincmarus** quoque soli impositioni manus sacram ordinationem tribuit. In canonicis litteris, quas Hedenulfo episcopo Laudunensi a se consecrato dedit ad clerum et populum illius ecclesiae, inculcat ut sacrae ordinationes non fiant pretio aut favore. « *Redemptor noster* ..., inquit, *ingressus tem-* « *plum, cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim* « *vendere est de Spiritu Sancto, quem Deus omnipotens con-* « *substantialem sibi per impositionem manuum hominibus tri-* « *buit, commodum temporale percipere* ». [6]

Similiter in variis documentis ipsius atque in aliis eiusdem aetatis uni manuum impositioni Ordinis sacri collatio adnectitur. Videantur *Epist. Hincmari ad regem;* [7] *Decretum cleri et*

[1] Migne P. L. 114. 629.
[2] Ibid. 633.
[3] Migne P. L. 110. 1195.
[4] Migne P. L. 112. 615 et 638.
[5] *Lib. 1, cap. 4 seq.* Migne 107. 304.
[6] *Num. 1.* Migne 87. 920.
[7] Migne 87. 901.

plebis Laudunensis de electione Hedenulfi; [1] *Decretum cleri et plebis Senonensis de electione Ansegisi.* [2]

200. - **Auxilius** demum ad finem huius saeculi strenue defendens ordinationes a Formoso Papa factas (a quo et ipse sacerdotio initiatus fuerat) ritum, quo sacra ordinatio perficiatur, alium quam manus impositionem non commemorat. [3]

201. - Ex allatis testimoniis saeculi noni elucet, illa quoque epocha nondum sermonem institui de porrectione libri Evangeliorum et de traditione instrumentorum in sacra ordinatione diaconi atque presbyteri, hancque soli ritui impositionis manuum tribui. Ex quibus omni iure concludi potest ac debet, illas caeremonias saltem generatim in usu nondum fuisse ac certo certius essentiales habitas non fuisse.

202. - Hic paulo gradum sistamus in disquisitione testimoniorum antiquitatis. Subsequentium saeculorum documenta infra accomodatius referemus. Postquam scilicet luculentissima librorum ritualium testimonia retulerimus, ex horum textibus, evolutionibus ac variationibus progressivis, collatis cum contemporaneis sacrorum Scriptorum dictis ab antiqua traditione pedetentim deviantibus, de tempore introductionis caeremoniae traditionis instrumentorum in ordinibus superioribus cum magna verosimilitudine coniici poterit, simulque aliquomodo intelligetur, quomodo conceptus ipse de essentia sacramenti Ordinis corruptus fuerit.

203. - Conclusio. Ex allatis SS. Patrum, Pontificum ac ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis irrecusabilis prodit illatio, inde scilicet ab incunabulis Ecclesiae per omnia illa sequentia saecula sacramentum Ordinis non alio ritu quam manuum impositione collatum esse. Penitus dici non potest, Patres de accessoria tantum caeremonia locutos esse, non vero de primario ordinationis ritu. Etenim, non semel sed saepissime, non uno sed diversis modis, non ob eamdem sed ob dispares rationes de sacra Ordinatione loquuntur. Quomodo autem asseri potest, eos

[1] Ibid. 909.

[2] Ibid. 911.

[3] *Lib. 2, cap. 26, 27 et 32.* Migne P. L. 129. 1096.

nunquam ritum essentialem nominasse, sed constanter eamdem caeremoniam accessoriam memorasse? - Patres integrum ritum Ordinationis quandoque ample atque accurate describunt; quare caeremoniam principalem aut partem eius praeteriissent? - Patres uno tractu de Ordine et aliis Sacramentis loquuntur, indicantes singulorum Sacramentorum ritum; cur solius Ordinis accessorium, aliorum vero Sacramentorum essentialem dixissent? - Patres non raro omnium inferiorum ordinum instrumenta, quibus conferuntur, commemorant, pro superioribus solam impositionem manus cum oratione ponentes; quare etiam horum instrumentorum mentionem non fecissent, si fuissent in usu? - Accedit quod aliquando facta narrant, quae concipi non possunt, si traditio instrumentorum fuisset in usu, et quod traditio haec instrumentorum cum formula collativa potestatis, sicut etiam formula *Accipe Sp. S. quorum remiseris* etc., caeremoniae sunt adeo significantes et in oculos occurrentes, ut, si revera exstitissent, certo certius eas commemorassent; quanto magis si eas essentiales habuissent sacrae ordinationis. - Adde Patres constanter dicere sacram Ordinationem impositione manus et oratione fieri; ea sacerdotium dari; ea diaconum constitui, episcopum creari; ea Sp. S. dari; ea sacram Ordinationem compleri, etc.

Unde e testimoniis Patrum hae duae illationes irrecusabiles videntur: 1° sacram Ordinationem ex Patrum sententia sola manus impositione cum oratione perfici; 2° traditionem instrumentorum et impositionem manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* etc. in sacra ordinatione sacerdotis et diaconi ipsis omnino ignotam fuisse.

3. - Concilia.

204. - Sacrae Synodi pro earum officio inde ab initio sacramenti Ordinis non minus quam aliorum Sacramentorum administrationi invigilaverunt. Hinc in actis Conciliorum saepe sermo est de Ordinis sacramento. Postquam itaque Patres scriptoresque ecclesiasticos audivimus, Conciliorum testimonia referemus, videbimusque ea Patribus omnino consonare.

205. - Conc. Ancyranum (anni 314) varias dedit *Regulas seu Statuta*. In hisce alium Ordinationis ritum quam manus impositionem non memorat.[1] In statutis audit: « *Diaconi...*, « ita Regula 10 (sec. Dion. Exig. 9), *quicumque tacuerint* (se « continere non posse) *et susceperint manus impositionem, pro-* « *fessi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a mini-* « *sterio cessare debebunt* ».[2]

206. - Conc. Nicaenum (*oecum.* I, anni 325). « *Si qui pre-* « *sbyteri*, inquit, *sine examine sunt provecti, vel cum discu-* « *terentur, peccata sua confessi sunt, et homines contra* « *canones commoti* (h. e. agentes) *manus confessis impo-* « *nere tentaverunt; tales regula non admittit* ».[3] Transcriptus est hic canon in *Capitulari* Caroli M. *lib. 1, cap. 2*, anni 789.[4]

207. - Conc. Antioch. (anni 341) *can. 17* praecipit: « *Si quis* « *episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit et* « *praeesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit,* « *nec acquieverit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet* « *communione privari* ».[5] - Et *can. 10* decernitur ut chorepiscopi « *quamvis manus impositionem episcoporum perceperint* », non praesumant presbyteris aut diaconis manus imponere (χειροτονεῖν), sed contenti sint subdiaconos, lectores et exorcistas ordinare (καθιζᾶν)[6] - cfr. etiam *can. 18 et 19*.

208. - Conc. Chalcedon. (*oecum.* IV, anni 451) *can. 2, 6, 25* de s. ordinatione episcoporum, sacerdotum, diaconorum loquitur, sed aliam materiam non assignat quam manus impositionem. « *Si quis episcopus*, ita can. 2, *propter pecunias ordina-* « *tionem* (χειροτονίαν) *fecerit et non venalem gratiam in ven-* « *ditionem deduxerit* (datur itaque gratia Sacramenti manus « impositione), *et propter pecunias ordinaverit* (χεροτονήσῃ)

[1] Cfr. *Reg. 10 et 13*. Apud Labbé Colet *Concilia tom. 1. 1490.*

[2] Ibid. 1497.

[3] *Can. 9*. Apud Labbe *tom. 2. 45.*

[4] Apud Labbe *tom. 9. 9.*

[5] Apud Labbe *tom. 2. 601.*

[6] Ibid.

« *episcopum vel chorepiscopum, vel presbyterum vel diaco-*
« *num... de proprio gradu in periculum veniat* etc. » [1]

209. - Conc. Charthaginense IV (anni 398). Sub nomine huius Concilii circumferuntur etiam varii canones de sacra Ordinatione statuentes, et omnium maiorum ac minorum ordinationum ritum proprium declarantes. - Notandum tamen eos a Concilio Carthaginensi non fuisse conditos. Canones isti aliud non sunt quam Antiqua Ecclesiae Statuta, quae in Galliis ortum habuisse videntur, non quod ibi in aliqua Synodo composita fuerint, sed quod ibidem ex variis tam Latinis quam Graecis canonibus, plerumque abbreviatis, partim etiam ex solemnioribus rubricis vetustissimorum Ordinum fuerint collecta. [2] Haec *Antiqua Statuta* vulgatissima antiquitus erant, a plurimis recepta ecclesiis, et ubique fere inveniuntur. Etiam Sacramentarium Gelasianum ea habet. Unde singularem prorsus vim habent, quum non unius alicuius ecclesiae sed permultarum etiam antiquissimarum ecclesiarum testimonium exhibeant.

210. - En quae praescribant de sacra episcopi, presbyteri et diaconi ordinatione. Can. 2 (cap. 90) « *Episcopus cum ordi-*
« *natur duo Episcopi exponant et teneant Evangeliorum codi-*
« *cem super caput eius; et uno super eum fundente benedictio-*
« *nem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput*
« *eius tangant* ». - Can. 3, cap. 91 « *Presbyter cum ordinatur,*
« *episcopo eum benedicente et manus super caput eius tenente,*
« *etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas*
« *iuxta manus episcopi super caput illius teneant* ». - Can. 4, (cap. 92) « *Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum*
« *benedicit, manus suas super caput eius ponat: quia non ad*
« *sacerdotium, sed ad ministerium consecratur* ». [3]

211. - Canon sequens (Can. 5, cap. 93) agit de ordinatione subdiaconi dicitque: « *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus*

[1] Labbe Colet *Conc. tom. 4. 1682.*

[2] Cfr. Fr. Balleriniorum *Observationes in Dissert. XII. Pasch. Quesnelli.* P. L., 56. 947.

[3] Apud Migne P. L. 56, 887.

« *impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat* « *vacuam et vacuum calicem. De manu vero Archidiaconi acci-* « *piat urceolum cum aqua, manile et manutergium* ». Haec autem clare confirmant ritum impositionis manuum cum oratione fuisse verum ac solum signum sacramentale in superioribus ordinationibus. Ideo Subdiacono in ordinatione sua dantur instrumenta quod manus ei non imponuntur. Quod sane non diceretur si etiam diacono et presbytero porrecta fuissent instrumenta.

212. - Conc. Hispalense II (anni 619) *capitulo 5* dicit: « *Ad* « *cognitionem nostram Aniani Egabrensis diaconi relatu dedu-* « *ctum est, de quibusdam ipsius ecclesiae clericis, quorum,* « *dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium* « *sacrarentur, episcopus eorum oculorum dolore detentus, fer-* « *tur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter* « *quidam illis, contra ecclesiasticum ordinem benedictionem* « *dedisse* »; et declarantur ordines irriti. [1] - Ex quibus clare patet *formam* presbyteralis et diaconalis ordinationis non fuisse imperativam, sed deprecativam (« *benedictionem* »); non fuisse verba *Accipe Spiritum Santum* sed orationem, quum pauca illa et facillima verba *Accipe Sp. S.* episcopus memoria certo tenuisset; Sacramenti materiam et formam fuisse manus impositionem et orationem.

213. - Conc. Toletanum IV (anni 633) *capitulo 28:* « *Epi-* « *scopus, presbyter aut diaconus, si a gradu suo iniuste deie-* « *ctus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse* « *quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de* « *manu episcopi. (Si episcopus est) orarium, annulum et bacu-* « *lum; si presbyter, orarium et planetam; si diaconus, ora-* « *rium et albam; si subdiaconus patenam et calicem: sic et* « *reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quae cum* « *ordinarentur perceperunt* ». [2]

214. - In quae iure advertit cl. Hallier: « *Quis non videt* « *ex eo canone recte inferri nondum saeculi VII initio, quo*

[1] Labbe Colet *Conc. tom. 6. 1405.*

[2] Labbe Colet *Conc. tom. 6. 1460.*

« *habita est praedicta synodus, anno vid. Chr. 633, Hispani-* « *carum ecclesiarum morem fuisse tradendi aliqua in ordina-* « *tione presbyteri et diaconi instrumenta: si enim aliqua tra-* « *dita fuissent, sicut in eorum degradatione fuissent ablata, ita* « *in ipsorum restitutione fuissent palam ab episcopis red-* « *dita* ». [1] – « *Ut factum est*, merito subiungit Morinus, [2] *post-* « *quam iste traditionis usus invaluit* ». Et revera in Pontificali Rom. in degradatione presbyteri nunc legitur: « *Ministri tra-* « *dunt in manu degradandi calicem cum vino et aqua ac patena* « *et hostia, quem pontifex degradator aufert de manibus degra-* « *dandi* »; et in degradatione diaconi: « *Ministri tradunt degra-* « *dando in manus librum evangeliorum, quem pontifex degra-* « *dator tollit de manibus eius* ».

215. – Conc. Nicaen. II (*oecum.* VII, anni 787) *canone 14* incidenter de Ordinatione loquitur, cuius tamen nullam aliam materiam nominat quam manus impositionem. [3]

216. – Conc. Meldense (anni 845) *can. 44* praecipit « *ut* « *chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem* « *teneat... nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per* « *impositionem manus tribuuntur i. e. non nisi usque ad sub-* « *diaconatum* ». [4]

217. – Conc. Coloniense (anni 1536) *pars 1 de munere episcopali* sic incipit: « *Episcopi munus in duobus potissimum* « *consistit: primum in impositione manuum, quae est ordinum* « *ecclesiasticorum collatio et institutio ministrorum; deinde in* « *visitatione dioeceseos* ». Et cap. 1: « *Impositio manuum est* « *ostium per quod intrant qui ecclesiarum gubernaculis admo-* « *ventur* », et allegantur textus ex *epist. ad Timot.* et ex *act. Apost.* [5]

218. – Conc. Moguntinum (anni 1549) tradit: « *Capitula ad* « *fidem pertinentia* ». Inter ea occurrit capit. 35, quo clare edi-

[1] *De sacr. elect. et ordin. pars 2, sect. 2, cap. 2, § 2, num. 7.*

[2] *De sacr. Ord. pars 3, Exerc. 7, cap. 1.*

[3] Labbe Colet, *tom. 8. 1258.*

[4] Ibid. *tom. 9. 975.*

[5] Ibid. *tom. 19. 1213.*

citur signum sensibile sacramenti Ordinis esse manus impositionem: « *In collatione ordinum, quae cum impositione ma-* « *nuum velut visibili signo traditur, doceant rite ordinatis* « *gratiam divinitus conferri* ».[1]

219. - Conc. Tridentinum demum *Sess. 14, cap. 3 de Extr. Unctione* docet ministros Sacramenti exeuntium esse « *episco-* « *p(os), aut sacerdotes, ab ipsis rite ordinat(os) per impositio-* « *nem manuum presbyterii* ». Et in *sess. 23, cap. 3,* ex verbis Apostoli *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum,* probat Ordinem verum esse Sacramentum, constans verbis et signis exterioribus et gratiam conferens. - Cfr. quae supra (n. 116) ex eodem Concilio allata sunt.

220. - Conclusio. Itaque Concilia quoque positive et constanter nos docent ritum essentialem et collativum sacrae potestatis esse manuum impositionem. Ad quae adiunge nullam unquam Synodum, sive generalem sive particularem, alium ritum sacrae Ordinationis praeter manus impositionem et orationem assignasse aut ad illum allusisse. Quibus profecto tam negative quam positive verus ritus sacramenti Ordinis probatus manet.

Melius huic capiti finem imponere non possumus quam verbis card. Bellarmini: « *Dicere autem omnia concilia, pon-* « *tifices et patres loqui de accidentaria caeremonia, ridiculum* « *est: cum nusquam ponant aliam caeremoniam et saepe ex* « *professo tractent de ritu ordinationis. Quis enim credat tot* « *patres et concilia, cum nihil frequentius tractent, quam ordi-* « *nationes sacerdotum ne semel quidem attigisse id, quod ad* « *essentiam Sacramenti pertinet?* ».[2]

221. - Sed, acsi Bellarminus sentisset hanc tam legitimam illationem retorqueri posse contra ipsum, qui *partem* essentiae Ordinationis in instrumentorum porrectione constituendam esse contendit, statim subiungit: « *Patres et Concilia non consue-* « *visse explicare totum ritum Sacramentorum, non enim scri-*

[1] Labbé Colet, *Conc. tom. 19. 1412.*

[2] *De sacr. Ord. lib. 1, cap. 9.*

« bebant libros rituales: sed solum attigisse unam partem « essentialem, ex qua caetera omnia intelligerentur: erant « enim ritus eiusmodi notissimi omnibus ex frequenti usu ».

222. - In quae Bellarmini verba animadvertendum: 1° ex Patribus et Conciliis, quamquam libros rituales non scribebant, plures tamen totum ritum Sacramentorum explicasse, ut supra vidimus; - 2° non intelligi quomodo Patres et Concilia constanter semper et unanimiter eamdem partem essentialem attigissent, nunquam vero vel uno verbulo alteram partem memorassent vel indigitassent; - 3° ex impositione manus minime intelligi traditionem instrumentorum eo magis quod diversa sunt pro diaconatu ac presbyteratu et quod Canones excludant porrectionem instrumentorum ubi manus impositio fit; - 4° verum non esse ritum traditionis instrumentorum notissimum fuisse omnibus ex frequenti usu. Multo frequentior erat ritus impositionis manuum, quae tamen ubique memoratur ac repetitur. Neque vir eximius, si libros rituales tot saeculorum inspicere potuisset, haec scripsisset; clare enim vidisset *usum* rituum traditionis instrumentorum et impositionis manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum,* de quibus loqui intendit, non solum non fuisse *frequentem,* sed *nullatenus extitisse.* Sed Bellarminus, uti iam antea observavimus, ob Decretum Eugenii IV putavit necessarium esse ita loqui.

4. - Libri Rituales.

223. - Quod beatus Thomasius de ecclesia Romana affirmat et probat, hoc sine erroris timore de universa Ecclesia asseverari potest, scilicet inde quasi a prima aetate compositos fuisse libellos quosdam, plus minusve perfectos, qui Pontificibus in sacris explendis functionibus, praesertim in solemni administratione Sacramentorum inservirent ad omnia rite ac ordinate peragenda. Ex illis antiquis tam orientalis quam occidentalis Ecclesiae non pauci supersunt codices, quumque in sacris ordinationibus celebrandis quasi manu ducerent pontificem eique principalia saltem *agenda* et *dicenda* suggererent, ex illis cum omni certitudine sciri potest, quo ritu, seu ut post

Scholasticos dici consuevit, qua materia et forma antiquitus in universa Ecclesia sacri ordines conferebantur.

Hinc quotquot invenire potui libellos rituales, publicatos a Goario, Habert, Martene, Mabillon, Morino, B. Thomasio, Menardo, Catalano, Denzinger etc., diligenter examinavi, et quod ad quaestionem nostram refertur quam brevissime fieri potest referam.

A) - Libri rituales Orientalis Ecclesiae.

224. - « *Orientalem Ecclesiam*, inquit Benedictus XIV, « *omnibus notum est quatuor ritibus constare, Graeco videli-* « *cet, Armeno, Syriaco et Cophtico, qui sane ritus universi* « *sub uno nomine Ecclesiae graecae, aut orientalis intelli-* « *guntur* ». [1]

a) - *Ritus Graecus.*

225. - Secundum antiquissimum codicem (bibl. Barberini) Euchologii Graeci, saeculi IX, a Morino evulgatum, [2] superiores ordinationes sic fiunt:

Ordinatio (*χειροτονία*) episcopi. Consecrator legit proclamationem: *Divina gratia* etc., manum tenens super verticem capitis - ter dicitur Kyrie eleison - imponitur super caput et collum s. Evangelium - crucis signo ordinandi caput signatur - manus imponitur cum oratione: *Here Domine Deus* etc. - sequuntur variae invocationes - iterum imponitur manus cum oratione: *Domine Deus* etc. - imponitur pallium - ordinatus osculatur.

226. - Ordinatio (*χειροτονία*) presbyteri. Repositis sanctis donis in sacra mensa post hymnum cherubicum ordinator legit chartam: *Divina gratia* etc. - adducitur ordinandus - ter cruce signatur - imponitur manus et dicitur oratio: *Deus qui es principii et finis expers* etc. - invocationes - iterata manus impositio cum oratione *Deus qui potens es* etc. - aptatur ora-

[1] Constit. *Allatae sunt 26 Iulii 1755*, § 3.

[2] *Comment. de sacris eccl. Ordin. pars 2.*

rium - phelonium imponitur - osculum datur - in fine demum missae, ante s. communionem « *tradit archiepiscopus presby-* « *tero ordinato in manus panem unum e disco, tenentemque* « *manibus panem sibi traditum et imponentem caput supra* « *ipsum inclinat supra sacram mensam sicque manet donec* « *dicatur* **Sancta sanctis** ».

227. - Ordinatio (*χειροτονία*) diaconi. Facta s. oblatione adducitur - dicitur: *Divina gratia* etc. [1] - Ordinandus genu flectit - ter cruce signatur caput - imponitur manus cum oratione: *Domine Deus noster* etc. - aliquae invocationes - iteratur manus impositio cum oratione: *Deus Servator noster* etc. - imponitur orarium, datoque osculo traditur flabellum - « *Cum* « *autem ordinatus participaverit sancto corpori et pretioso* « *sanguini, tradit ei archiepiscopus sanctum calicem, quo* « *accepto participes facit sacri sanguinis ad eum accedentes* ».

228. - Easdem omnino caeremonias in s. ordinibus conferendis continet codex Euchologii Graeci monasterii *Cryptae Ferratae*, qui est saeculi x, et refertur a Morino; [2] - item duo codices Biblioth. *Vaticanae*, quos Morinus refert iudicatque esse saeculi xii; [3] - item codex Bibl. *Regiae* saeculi xiv; [4] - item antiquus codex Bibl. Cler. Regul. *S. Andreae Vallensis* in Urbe; [5] - item bonae notae codex, quem Morinus a *Leone Allatio* habuit atque evulgavit. [6] - Refert etiam cl. Martene multos codices Euchologii Graeci, qui eumdem ordinationis ritum habent. [7]

[1] Cl. Isaac Habert aliique in his verbis *Divina gratia etc.* ormam vident ordinationis Orientalis. Quod mihi erroneum esse videtur. In plurimis codicibus, uti hic videre est, haec formula pronuntiatur absente ordinando. In ritu Syriaco, ut infra observari potest, non ab ordinatore sed a diacono vel archidiacono vel uno ex episcopis dicitur, sicut etiam in ritu Cophtico. Mihi formula haec aliud non videtur esse quam quaedam solemnis proclamatio ordinationis peragendae.

[2] *L. c. pag. 60.*

[3] *Ibid. pag. 78.*

[4] *Apud Morinum l. c. pag. 67.*

[5] *Ibid. pag. 74.*

[6] *Ibid. pag. 85.*

[7] *De antiq. Eccl. rit. lib. I, cap. 8, art. II, ord. XIX.*

229. - Ab expositis caeremoniis parum differt ordinationis ritus, quem tenet Euchologium, editum a clarissimo et doctissimo Goario, O. P., quocum omnino convenit Euchologium ab Habert publicatum. Iuvat eum summatim referre.

Τάξις γενομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ διακόνου: Adducitur ordinandus ter circumiens sacram mensam - pontifex « *eius caput signat ter* » - ordinandus « *sacrae mensae fronti inhaeret et genu dexterum flectit* » - imponitur manus et dicitur: *Divina gratia* etc. - ter Kyrie eleison - caput ter cruce signatur - impositio manus cum oratione: *Domine Deus noster* etc. - variae invocationes - rursus imponitur manus cum oratione *Deus Salvator noster* etc. - circumdatur orarium in sinistro humero - osculatur et datur flabellum.

230. - *Τάξις γενομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ πρεσβυτέρου*: Adducitur ut supra ordinandus - ter signatur in capite - « *qui ordinatur* « *sacrae incumbens mensae utrumque genu flectit* » - impositio manus cum proclamatione: *Divina gratia* etc. - ter Kyrie eleison - rursus ter cruce signatur - impositio manus cum oratione: *Deus qui es sine principio* etc. - variae deprecationes - iterata manus impositio cum oratione: *Deus qui magnus es* etc. - aptatur stola - datur phelonium sine formula - osculatur. - In fine sacrificii « *accedit ordinatus cui praebet* « *pontifex sanctum panem, h. e. particulam panis consecrati,* « *sic dicens:* **Accipe depositum, h. e. serva illud usque ad adven-** « **tum D. N. I. C., quando debet abs te illud repetere:** *ipse vero* « *accepto sancto pane deosculatur manum pontificis et recedit* « *ad locum, ubi prius erat, imponens manus super sacram* « *mensam... cum vero pontifex dicturus est* **Sancta sanctis** *tunc* « *consecratus restituit sanctum panem pontifici et primus inter* « *alios presbyteros communicat* ».

231. - *Τάξις γενομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ ἐπισκόπου*: Absoluto trisagio adducitur consecrandus - fronte incumbit sacrae arae - legitur decretum *Divina gratia* etc. - ter Kyrie eleison - imponitur liber evangeliorum - signatur trina cruce - impositio manus cum oratione: *Domine Deus noster* etc. - variae invocationes - repetita manus impositio cum oratione: *Domine*

Deus noster etc. - impositio humeralis - osculatur et acclamatur. [1]

232. - Ab eodem quoque ritu parum vel nihil differt ille quem tradit *Euchologium*, quod post immensum revisionis laborem publicavit S. Congr. de Prop. Fide quodque a Benedicto XIV Constit. *Ex quo primum,* 1 Martii 1756, Graecis praescriptum fuit et etiam in praesenti apud Graecos in usu est.

Cum eo demum congruit quoque *Archiepatikon* seu liber Pontificalis Ecclesiae graecae, qui ab Isaak Habert editus est « *ex regiis mss. euchologiis aliisque probatissimis monumentis* « *collectus* » Parisiis 1643.

233. - Ex quibus cum evidentia elucet in ritu Graeco tam in praeterito quam in praesenti sacras ordinationes sola manuum impositione cum oratione factas esse et fieri et in eo non inveniri neque impositionem manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum,* neque traditionem instrumentorum cum relativis formulis, aut aliquid quod eius locum tenere posset. Quod enim absoluta ordinatione et Missa neo-sacerdoti in manus datur sacrosanctum Domini corpus sine verbis, vel etiam cum formula *Accipe depositum* etc., nullam, uti patet, similitudinem habet cum ritu Latino porrectionis instrumentorum. Neque applicatio frontis ad sacram mensam pro traditione instrumentorum haberi potest, uti quidam voluerunt auctores, de quibus infra sermo recurret; nam praeterquam quod huiusmodi interpretatio non est nisi violenta sensus contortio, applicatio illa nullam habet formam coniunctam et, sicut ex toto ritu prodit, caeremonia est omnino secundaria. Insuper in longe maiori numero codicum (vide nn. 225 seq. et 228), non invenitur et deest in reliquis omnibus ritibus Orientalibus.

b) - *Ritus Armenus.*

234. - Praecipuos Armenorum ritus ordinationis ex vetustissimo rituali Armeno primus in latinam linguam vertit ac

[1] Habert *pag. 308 seq.*

anno 1650 edidit Clemens Galanus in suo opere « *Conciliationis ecclesiae Armenae* » etc. Deinde Ioannes Marchio de Serpos anno 1786 omnes ordinationes Armenas, collatis nonnunquam pluribus codicibus, publicavit in suo opere « *Compendio storico* » etc. Denzinger *Ritus Orient.* modum ordinationis Armenae deprompsit ex versione Richter, anno 1807 edita, collatis tamen aliorum recensionibus.

235. - Est autem ritus Armenus verum florilegium caeremoniarum tam orientalium quam occidentalium, ut inspicienti patet et apud Armenos in confesso est. Quae pulchra ipsis videbantur in aliis ritibus haec patres rituum Armenorum assumebant; unde etiam factum est ut hi ritus longissimi sint atque saepe molestas habeant repetitiones. E ritu Latino plurima sumpserunt, ipsam quoque instrumentorum traditionem. Hinc operae pretium duximus inquirere de tempore introductionis apud Armenos, ut inde lux afferretur circa aetatem introductionis apud Latinos.

Referamus primum ritus Armenos collationis sanctorum ordinum.

236. - In collatione tonsurae, ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus plurima, praesertim quoad instrumenta ordinum et formulas traditionis, ex ritu Latino mutuata sunt. Sed *ordinatio subdiaconi* incipit sicut in ritu Graeco ab impositione manus cum oratione (quae tamen in ritu Syriaco et Cophtico non habentur); qua facta, candidatus induitur veste clerici et manipulo « *et* (Episcopus) *dat in manum eius, calicem vacuum et patenam dicens*: **Accipe sanctum hunc calicem et habes potestatem a Domino portandi ad sanctam mensam** » etc. « *Simili modo tradit vestem missae, purificatorium, missale et omnia paramenta dicens:* **Vide ad quod mysterium vocatus es** » etc.

237. - Ordinatio diaconi: Post varias caeremonias et psalmos adducitur ordinandus coram bemate - Chartophylax dicit: *Pater sancte, postulat a te mater nostra Sancta Ecclesia ut hunc N. subdiaconum, quem praesentat tibi, ordines nobis diaconum.* - Episcopus: *Scitis utrum sit dignus* etc. - *Quan-*

tum humana fragilitas etc. - Episcopus facit signum crucis et dicit: *Per gratiam* etc. - Ordinandus sinistro genu flexo benedicitur - Chartophylax proclamat: *Rogemus Deum omnipotentem* etc. - *Episcopus imponit dexteram capiti ordinandi et dicit hanc orationem:* **Domine Deus omnipotens** etc. - Psalmus *Beati immaculati.* - Iteratur impositio manus cum cruce et oratione: *Domine Deus omnipotens, factor omnium* etc. Ordinandus dirigit faciem ad occidentem et elevat manus et alii circulum faciunt etc. - Episcopus imponit manus et dicit: *Divina et coelestis gratia* etc. ac deinde orationem: *Domine Deus fortis* etc. - leguntur multi loci V. et N. T. - Post varias caeremonias repetitur impositio dextrae cum cruce et oratione *Domine Deus omnipotens* etc. - Post hymnum aliaque induitur veste diaconali et stola: *Accipe mundam et candidam stolam* etc. - Et benedictione data: « *tradit ei evangelium dicens:* « **Accipe potestatem legendi s. Evangelium in Ecclesiis Dei, in « auscultationem vivorum et in commemorationem mortuo- « rum** ». *Deinde* « *tradit ei thuribulum dicens:* **Accipe potesta- « tem thurificandi** », etc. etc.

238. - ORDINATIO PRESBYTERI: Post varias caeremonias et preparationes Chartophylax dicit: *Pater Sancte postulat* etc. ut supra. - *Post aliquos psalmos, diaconus proclamat:* « *Ro- « gemus clementissimum Deum pro hoc diacono, qui in eo est, « ut vocetur ad presbyteratum, ut dignus fiat per virtutem et « gratiam huius vocationis, atque per hanc manuum imposi- « tionem accipere gratiam sacerdotii ab omnipotenti Deo, salva « et miserere* ». - *Et dicunt tricies:* Domine miserere. - « *Et « Episcopus imponit dexteram suam super caput ordinandi « (quod significat: Dator potestatis et gratiae Spiritus Sanctus « est: et episcopus est minister et mediator: sicut canalis aquam « ex fonte sumptam nobis adducit) et dicit hanc orationem:* « **Domine Deus omnipotens** » etc. Deinde convertunt faciem ordinandi ad populum manus supra elevando etc. - Post varias caeremonias Episcopus iterum ponit dexteram cum cruce super caput et dicit: *Divina et coelestis gratia* etc. - Episcopus denuo dexteram imponit cum cruce et dicit: *Domine Deus*

omnipotens etc. - Episcopus adaptat stolam et dicit: *Accipe iugum D. N. I. C. iugum enim eius suave est et onus eius leve.* - Sequuntur plures psalmi et lectiones e V. et N. Testamento, aliaque. - Episcopus iterum imponit dexteram et dicit orationem: *Domine Deus virtutum* etc. - Tum afferuntur paramenta sacerdotalia et dicuntur longae orationes. - Imponit Episcopus *Savagard* dicens: *Accipe galeam* etc.; circumdat *Urar* (stola) dicens: *Accipe potestatem a Spiritu Sancto* etc.; cingit *Kodi* (cingulum) et dicit: *Accipe potestatem a Spiritu Sancto ligandi et solvendi, quam D. N. I. C. dedit sanctis apostolis dicens: Quodcumque ligaveritis super terram* etc.; item *Pilon* (pallium) dicens: *Accipe loricam iustitiae* etc.; induit *Schurtschar* (pluviale) dicens: *D. N. Iesus induit te vestimento* etc. Deinde cantatur hymnus *Missa columba* etc. et Episcopus ungit chrismate frontem, manum dexteram et sinistram dicens: *Benedicatur, ungatur, et consecretur frons - dextera manus - sinistra* etc. Sequitur oratio: « *Domine Deus noster,* « *qui unxisti* etc. - « *Deinde accipit Episcopus et calicem et* « *patenam cum vivifico corpore et sanguine,*[1] *et dat in manu* « *novitii et dicit:* **Accipe et suscipe potestatem et facultatem**[2] « **a Spiritu Sancto signandi et perficiendi sanctas missas in** « **nomine D. N. I. C. pro vivis et defunctis** ». Deinde accipit Episcopus thuribulum et dicit: *Atque etiam pacis Dominum rogemus* etc. - Demum sequitur benedictio Episcopi et absolvitur missa.

239. - Ordinatio episcopi: praemittitur examen ut in ritu Latino. - Patriarcha ponit super humeros librum apertum Evangelii, super caput ponit manum dextram - fit proclamatio *Divina gratia* etc. et sequitur oratio invocationis Spiritus Sancti etc. - pluries repetitur impositio manus cum diversis

[1] Ita in versione Richter, quam sequitur cl. Denzinger. Dicitur per anticipationem corpus et sanguis sicut in ritu Latino ad offertorium per anticipationem dicitur: *Suscipe... immaculatam hostiam... offerimus calicem salutaris* ». — Clem. Galanus et Ioan. Serpos legunt: « *cum vino et hostia* ».

[2] Ita Richter et Denzinger. Clemens Galanus legit: « *Accipe, suscipe: accepisti enim potestatem consecrandi* ». Et Serpos: « *Accipe quoniam suscepisti facultatem per gratiam Dei consecrandi* ».

invocationibus Spiritus Sancti. - Psalmus *Memento Domine David* - lectiones Scripturae - aliae invocationes - unguntur chrismate caput et ambo pollices - datur baculus pastoralis - immittitur digito annulus - datur liber Evangelii et imponitur mitra. [1]

240. - In ritu itaque Armeno, invenimus: 1° in ordinatione diaconi traditionem Evangelii cum formula *Accipe potestatem legendi;* 2° in ordinatione presbyteri traditionem calicis et patenae cum vino et pane atque formula *Accipe potestatem* etc.; atvero 3° deest omnino in ordinatione episcopi et diaconi impositio manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum;* 4° in ordinatione presbyteri occurrit quidem formula *Accipe potestatem a Spiritu Sancto ligandi* etc., sed in traditione cinguli absque ulla impositione manus. [2]

241. - Attamen ex ritu ipso patet unicuique ac legenti statim in oculos incurrit caeremoniam illam traditionis instrumentorum esse quid omnino secundarium. Evidentissime aliena est ritui eique superaddita neque ullo modo considerari potest ut essentialis. Ut signum collativum sacrae potestatis in ordinatione tam diaconi quam sacerdotis manifeste apparet impositio manus cum adiuncta precatione.

242. - Iuvat nunc inquirere, *quando* apud Armenos introducta fuerit caeremonia Latina traditionis instrumenti in ordinatione diaconi et sacerdotis. Iamvero anno 1342 celebratum est ab Armenis Concilium, cuius acta desideratum circa hanc rem lumen afferunt. « *Quum scilicet Leo rex Armenorum,* ita « legitur in Observatione praevia Concilii apud Martene et « Durandum, *missis ad Benedictum papam XII legatis, auxi-* « *lium ab eo postulasset adversus Saracenos, a quibus gra-* « *vissimas clades acceperat, respondit pontifex nullam ab*

[1] Denzinger, *Ritus Orient. tom. 2, pag. 274 seq.*

[2] In hodierno ritu Armenorum catholicorum in fine Missae imponitur manus et dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris etc.* ut apud Latinos. Sed nequaquam habetur signum collativum potestatis absolvendi. Illmus Dom. Rubian, Ordinator Collegii Armeni in Urbe, mihi narravit se iuvenem adstitisse ordinationi, in qua haec caeremonia fiebat absque manus impositione sed cum insufflatione, ad exemplum Domini post resurrectionem.

« *ecclesia Romana opem esse sperandam, nisi prius Armeno-*
« *rum populi, quibus infecti erant errores penitus omnes eiu-*
« *rarent... errorum libellum collegit amplissimum, quo ad re-*
« *gem et patriarcham misso, mandavit ut generali totius regni*
« *congregato concilio, obiectos errores emendarent* ».

243. - Libellus constabat 117 articulis. Concilium habitum est in civitate Sisensi, praesidente Patriarcha Mechitar et assistentibus 6 archiepiscopis, 22 episcopis, multisque abbatibus etc. Iamvero art. 92 dicebat: « *quod... eodem modo ordines presby-*
« *teratus et diaconatus conferunt, scilicet per manus imposi-*
« *tionem, dicendo quaedam verba, hoc solum mutato, quod in*
« *ordinatione diaconi exprimitur ordo diaconatus et in ordina-*
« *tione presbyteri ordo presbyteratus* ». Ad hunc articulum accusationis respondit Concilium: « *Ordinem diaconatus sic*
« *damus: post multas ordinationes et orationes etc.... In fine*
« *vero episcopus ponit stolam super humerum sinistrum di-*
« *cens:* **Accipe mundam et sanctam stolam** *etc.... tradit evan-*
« *gelium* **ad auscultationem vivorum et memoriam mortuo-**
« **rum**. *Deinde tradit thuribulum cum incenso dicens:* **Accipe**
« **licentiam** *etc.... Quando vero sacerdotem ordinamus, hoc*
« *modo facimus: post aliquas orationes etc....* (enumerantur variae caeremoniae et prosequitur): *Post haec accipit epi-*
« *scopus patenam cum corpore Domini et calicem cum san-*
« *guine et dat in manibus eorum dicens:* **Accipe potestatem**
« **per gratiam Dei signare et perficere Sanctam Eucharistiam**
« **pro vivis et mortuis** ». Demum subiungunt Patres: « *Modum*
« *et responsionem istorum ordinum dominus Bernardus comes*
« *Quiquensis secundum antiquam consuetudinem Armenorum*
« *et secundum novam consuetudinem, quas ecclesia Armeno-*
« *rum impetravit ab ecclesia Romana a CC annis citro, inter-*
« *petravit in lingua latina et misit vobis ut demum etiam*
« *poteritis videre veritatem. Sciendum quod a praedecessoribus*
« *nostris sic pervenit ordo sacerdotis, et ita sic nos fecimus et*
« *facimus* ».[1] - Mortuo interea Benedicto XII eius successor Clemens Papa VI anno 1346 novos ad Armenos misit nun-

[1] *Veterum scriptorum et monumentorum... collectio tom. VII.*

tios « *qui singulos fidei christianae articulos credendos, atque « traditiones ecclesiae Romanae deferrent observandas* ». [1]

244. - Ex quibus elucet caeremonias traditionis instrumentorum cum relativis formulis in ordinatione diaconi et sacerdotis apud Armenos circa vel post medium saeculum duodecimum introductas esse. Quum enim synodus illa Armena anno 1324 celebrata fuerit, et Patres Concilii aperte dicant, ecclesiam Armenam a minus quam ducentis annis caeremonias illas ab ecclesia Romana mutuatam esse, sequitur introductionem circa medium vel post medium saeculum XII locum habuisse.

245. - Quibus congruunt quae a R. P. Aucher e Congregatione Mechitaristarum, apprime versato in ritibus Armenis, ad me scripta fuere. Sciscitanti scilicet mihi quid ex antiquis Armenorum codicibus circa tempus et auctorem introductionis ritus traditionis instrumentorum in sacra ordinatione apud Armenos erui posset, respondit italice quod hic latine reddo:

« *Ritus nostri florilegium sunt caeremoniarum aliarum « nationum. Saepe impossibile est aut saltem difficillimum dilu- « cidare vel statuere* QUANDO *et* A QUO *haec illave pars fuerit « introducta.*

« *Ad 1^m et 2^m* (quaesitum de tempore et auctore introductionis traditionis instrumentorum). *Traditio libri Evangelii « in ordinatione diaconi, sicut etiam qualiscumque alia traditio « in collatione sive diaconatus sive presbyteratus, nullatenus « partem facit ritus nostri: est usus novus, qui apud nos intro- « ductus fuit. - Sed* QUANDO *praecise et* A QUO *introductus est? « Circa haec nullum probabile indicium invenio. Sanctus Nar- « setes Lambronensis,* [2] *qui loquens de officio diaconi, mentio- « nem facit lectionis Evangelii et predicationis, ne verbulum « quidem habet quod ad eius porrectionem in ordinatione allu- « dit. Similiter antiqua nostra manuscripta saeculi IX pror-*

[1] *L. c.*

[2] S. Narsetes Lambronensis, summus doctor ecclesiae Armenae, floruit ab anno 1154 usque 1180.

« *sus ignorant huiusmodi ritum. - Insuper mihi explicatu*
« *difficile est quomodo Patres nostri saeculi XII, Sanctus Gre-*
« *gorius Vegaiasser* [1] *et Sanctus Narsetes Scinorhali,* [2] *qui*
« *libros nostros liturgicos compilarunt, licet et ipsi vestigiis*
« *Romanis ingressi sint, non verterint atque assumpserint*
« *illas partes.* [3]

« *Ad 3^m* (quaesitum de ultima manus impositione in ordi-
« natione sacerdotali). *Ultima manuum impositio in presbyteri*
« *ordinatione, qua confertur iurisdictio ligandi et absolvendi,*
« *prorsus deest in vetustis nostris manuscriptis sicuti etiam*
« *in antiquis libris impressis, excepto eo qui anno 1787 a*
« *Patribus Mechitaristis Tergesti editus est.*

« *Formula a Denzinger relata in traditione cinguli etiam*
« *in antiquis libris impressis invenitur.*

« *Venetiis, die 7 Febr. 1908.*

« *P. Ioan. Aucher* ».

246. - Quod itaque saeculo IX prorsus ignotum erat apud Armenos, postea introductum fuit, mutuatum ab ecclesia Latina; introductum autem, ut ex textu elucet et supra iam notavimus, non in substitutionem impositionis manus, quae semper intacta remansit, sed per simplicem additionem ad maiorem solemnitatem et perfectiorem conformitatem cum ecclesia Romana.

247. - Quod autem ad significationem attinet, manifestum est, caeremoniam traditionis instrumentorum in ritu Armeno habere sensum mere explicativum potestatis traditae per impositionem manus. Praeterquam enim quod hoc patet ex ipsa posteriori additione, intacto retento ritu originali, in ordinatione diaconi, hoc etiam elucet ex eo quod eadem formula

[1] Gregorius Vegaiasser (martyrophilus) ad finem vixit saeculi XI. Ecclesia Armena, licet non celebret eius festum, eum in sanctorum numero habet.

[2] S. Narsetes Scinorhali (gratia plenus) ab anno 1102 usque ad ann. 1172 vixit et summus doctor aestimatur.

[3] Explicatio, ni fallor, in eo invenitur quod temporibus illorum compilatorum in ecclesia Latina recentissimus adhuc erat ritus ille nec ubique receptus, ut infra videbimus.

Accipe potestatem etc. diacono tam liber Evangeliorum quam turibulum datur. In ordinatione vero sacerdotali sensum explicativum expresse referunt ex codicibus, quos examinare potuerunt tum Ioannes Serpos, tum Clemens Galanus, qui per multos annos degit in Armenia.

248. - Ex relatis de ritu Armeno sacrae Ordinationis constat, antiquitus in eo nullam fuisse instrumentorum traditionem cum formulis imperativis *Accipe potestatem* etc. - eam tamen caeremoniam decursu temporis, saec. XII a Latinis fuisse mutuatam - eam similiter fuisse introductam non tanquam novam materiam et formam Sacramenti, quae locum teneret impositionis manus et orationis (quippe quae prorsus immutatae perstiterunt), sed solum tanquam caeremoniam explicativam ad maiorem solemnitatem. Unde omnino dicendum, sacros ordines apud Armenos tam antiquitus tum etiam recentius semper fuisse collatos ac conferri sola manuum impositione et oratione.

c) - *Ritus Syriacus.*

249. - Ritus ordinationis SYRORUM IACOBITARUM ex variis codicibus primus vertit ac edidit, sed incomplete, cl. Morinus, *De sacr. Ordin. pars 2;* deinde Renaudotius *Collectio liturg. orient. tom. 2*, eos ex antiquissimo codice Florentino transtulit. Simon Assemanus, *Biblioth. Orient.*, eos pariter illustravit. Denzinger, *Ritus Orient. tom. 2.* eos ex variis auctoribus integre exhibet.

Summatim sic procedunt:

250. - *Ordinatio diaconi.* Episcopus tondet caput ordinandi in forma crucis, eumque tradit institutori - apprehendit eum per manum dexteram dicens *Spiritus Sanctus te vocat* et ducit ad altare - ordinandus genu dexterum flectit - primus diaconus proclamat: *Gratia D. N. I. C.* etc. - episcopus extendit manus super corpus et sanguinem Domini, eas contrahit ponitque super caput ordinandi orans (forma) *Deus, qui ecclesiam* etc. - iterum manus imponit et signat inter oculos - circumdat eum orario traditque flabellum.

251. - *Ordinatio presbyteri* - tonsio etc. ut supra - procumbit in ambo genua - Archidiaconus proclamat: *Gratia D. N.* etc. - episcopus extendit et claudit manus super sacra mysteria easque deinde ponit in caput ordinandi dicens orationem formae: *Deus magnae et admirabilis* etc. - repetit manus impositionem et signat inter oculos - aptat orarium, dat casulam, cingulum, thuribulum etc. - ordinatus osculatur mensam sacram manumque episcopi et recipit s. communionem.

252. - *Ordinatio episcopi:* adducitur ab episcopis coram patriarcha et facit confessionem fidei - unus ex Episcopis proclamat: *Gratia divina* etc. - ponitur Evangelium apertum super caput - patriarcha imponit manus et orat (forma): *Deus qui universam* etc. et *Deus deorum et Dominus dom.* etc. - vestitur tunica et phaino albo, imponitur cidaris, collocatur in trhono et honoratur. [1]

Cum hisce congruunt omnino ordinationes Syrorum Iacobitarum, quales eas tradit Renaudotius.

253. - Ritus ordinationum, quibus utuntur Syri Maronitae primus sed valde imperfecte edidit Morinus, *De sacris Eccl. Ord.* Deinde Renaudotius, *Perpétuité de la foi* eos ex variis codicibus collegit, incomplete tamen et confuse. Tum integros eos ac sinceros edidit Iosephus Assemanus, *Codex liturg. eccl. univ.* e codice ex variis vetustis codicibus conscripto. Cl. Denzinger Assemanum sequitur.

254. - Syri autem Maronitae quoad s. ordinationes in essentialibus conveniunt cum Iacobitis. Eamdem habent caeremoniam impositionis manus cum iisdem omnino orationibus. At ordinationes Maronitarum prolixissimae sunt. Ita in ordinatione diaconi praeter memoratam alias quinque habent manus impositiones cum diversis longis orationibus. In ordinatione presbyteri tres; unguntur etiam manus et vestes traduntur cum formulis a latinis non dissimilibus. In ordinatione episcopi similiter tres; ungitur etiam caput et manus, etc. etc. Sed nulla

[1] Apud Denzinger, *Rit. Orient. tom. 2, pag. 66 seq.*

habetur caeremonia quae ad aliquam instrumentorum traditionem alludit sicut etiam plane deest impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*[1]

255. - Syrorum Nestorianorum ritus ordinationum primus sed incorrecte publicavit cl. Morinus, *De sacr. Ord.* ex codice Vaticano. Deinde eos edidit correcte sed non integre Simon Assemanus, *Biblioth. Orient.* Tum Iosephus Assemanus, *Codex liturg.* eos integre dedit. Postea eos quoque anglice publicavit Percy Badger, *The Nestorians and their rituals.* Denzinger Assemanum iuniorem sequitur.

256. - In *ordinatione diaconi* praecipit ut praesul imponat manum dexteram capiti et oret: *Deus noster bone* - signet capita - iterum imponat manus cum oratione *Domine Deus fortis* - rursus signet capita - accommodet orarium - « *Postea* « *archidiac. tradit episcopo librum Apostoli, qui eum apprehen-* « *dendum praebet unicuique eorum, qui ordinantur, eumque* « *signat in fronte... et dicit:* **Segregatus est, sanctificatus** « **est** » *etc.* - benedicat singulis.

Hic itaque alicuius instrumenti exhibitionem habemus; verumtamen absque ulla forma et ex toto ritu claret, eam solius solemnitatis esse caeremoniam.

257. - In *ordinatione presbyteri:* tondentur capilli - post multas caeremonias et preces « *praesul submissa voce dicit:* « *Gratia D. N. I. C.* etc. *Archidiaconus exclamat: Pax nobis-* « *cum. Et recitat praesul hanc impositionem manus, manum* « *dexteram imponens capiti ordinandi, ac dicens quiete: Deus* « *noster bone* - signatur caput - iterum manus imponitur cum oratione *Domine Deus fortis* - signatur caput - induitur pallium et aptatur orarium - « *idemque episcopus accipit adoran-* « *dum librum Evangelii, et tradit eum in manus eius, qui* « *impositionem manus accepit et signat eum... dicens:* **Segre-** « **gatus est, sanctificatus est** » etc. ut supra.

258. - In *ordinatione episcopi,* post multas orationes ordinando imponitur Evangelium. « *Quod cum imponitur dorso eius*

[1] *Ibid. pag. 108 seq.*

« *qui ordinatur, omnes episcopi, qui ibi adsunt, imponunt* « *super eum manus suas ex utroque latere donec omnes preces* « *absolutae fuerint* ». - *Praesul dicit: Gratia D. N. I. C. etc.* - « *Archidiaconus intonat: Pax. Praesul dicit imponens dexteram* « *manum suam capiti eius qui ordinatur, sinistram vero exten-* « *dens more precantis: Deus noster bone et benefactor etc.* - « *Praesul autem circumdat eum Maaphra, et induit Biruna, et* « *tradit virgam in manum eius dexteram etc.* [1]

259. - Ex citatis clare elucet in ritu Syriaco tam Iacobitarum quam Maronitarum et Nestorianorum nullam prorsus occurrere in sacris illis ordinationibus instrumentorum porrectionem, easque sola manus impositione ac oratione ministrari. Quae apud Syros Nestorianos occurrit traditio libri Evangeliorum in diaconorum ordinatione aliud non est manifeste quam simplex caeremonia accidentalis uti patet tum ex eo quod nullam habet formam sibi coniunctam, tum ex eo quod eadem prorsus caeremonia in ordinatione sacerdotali occurrit.

d) - *Ritus Cophticus.*

260. - Cophtitarum ritus ordinationum primum ab Athanasio Kircherio, [2] sed incomplete, deinde a Renaudotio [3] ex diversis mss. codicibus in latinam linguam translati sunt. Postea eos pariter vertit Iosephus Simonius Assemanus, [4] aliique eos illustraverunt.

Summatim hunc in modum in conferendis sacris ordinibus procedunt:

261. - *Ordinatio diaconi*: ordinandus sine tunica coram episcopo constituitur « *flexo genu dextero supra gradus altaris* » - episcopus imponit thus et dicit gratiarum actiones - conversus ad orientem dicit Orationem - Archidiac. proclamat: *Gratia D. N. I. C.* - dicitur oratio - « *Converte te ad Occiden-*

[1] Denzinger, *Rit. Orient. tom. 2, pag. 226 seq.*

[2] *Rituale eccl. Aegypt., etc.*

[3] *Perpétuité de la foi: etc., lib. 9.*

Biblioth. Orient. tom. 3.

« *tem, impone manum dexteram tuam super caput eius et dic* « *hanc orationem, epiclesin:* **Dominator Domine Deus** - *con-* « *verte te ad Orientem... et dic* etc. - *converte te ad Occidentem,* « *signa frontem eius pollice tuo et dic* » etc. - tres cruces super faciem ordinandi - imponitur zònaria (stola) humero sinistro - ordinatus osculatur altare et episcopum et adstantes cum ipso - legitur diaconi instructio - episcopus benedicit et dat ei de mysteriis.

262. - *Ordinatio presbyteri:* ordinandus vestitus ut diaconus genuflectit in conspectu altaris - gratiarum actio et thus, ut supra - Archidiac. proclamat: *Gratia D. N.* etc. - ter Kyrie eleison, bis repetitum - « *conversus ad Occidentem impone dexteram tuam* « *super caput eius, ora hoc modo, dic:* **Dominator Domine** « - **Deus** » - signatur frons pollice - proclamatur presbyter - ter signatur frons - imponitur stola - catechesis presbyteri etc. ut supra.

263. - *Ordinatio episcopi:* lecto decreto electionis imponitur thus etc. - ordinandus genuflectit super gradus - post longam orationem et quinquagies Kyrie eleison alia oratio - Patriarcha ponens dexteram super caput, episcopis tangentibus humeros, « *dicit orationem ordinationis* (*χειροτονία*) **Dominator Domine** « **Deus** » - etc. post varias alias orationes induitur stola, tunica, cuculla et pallio etc. In hac ordinatione capiti episcopi Evangelium non imponitur, sed postea ipsi datur in sinu.

264. - In ritu itaque Cophtico sacrae ordinationes episcoporum, sacerdotum, diaconorum sola impositione manus et orationibus fiunt et plane desideratur instrumentorum traditio cum formulis imperativis *Accipe potestatem etc.,* sicut etiam manuum impositio cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum.*

265. - *Conclusio.* Quum Ecclesia sacras ordinationes, secundum ritus Orientales perfectas, validas semper habuerit ac pluries etiam solemniter declaraverit, ex relatis ritibus Orientalibus ineluctabiliter infertur, episcopos, presbyteros, diaconos absque instrumentorum porrectione, absque impositione manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* valide ordinari; ac consequenter, quum unum sit sacramentum Ordinis in Ecclesia, dia-

conatus essentiam non inveniri in traditione libri Evangeliorum cum formula *Accipe etc.;* presbyteratus materiam et formam non esse in porrectione patenae et calicis cum pane et vino cum verbis *Accipe potestatem offerre* etc. et in impositione manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris etc.;* et ad episcopatus essentiam non pertinere formulam *Accipe Spiritum Sanctum.*

B) - Libri rituales Occidentalis Ecclesiae.

266. - Ecclesia Romana, uti ostendit Beatus Thomasius in *Praefatione* ad codices Sacramentorum,[1] inde ab origine libellos quosdam habuit sacrorum rituum, quibus in sacris functionibus utebatur, et quorum substantialia saltem a sanctis eius fundatoribus venire dubitari non potest.[2]

Ab ecclesia Romana omnes aliae ecclesiae occidentales ortum traxerunt et proinde earum ritus quoque in administratione Sacramentorum a ritibus ecclesiae Romanae derivati sunt. Attamen quum antiquitus magna esset libertas relicta particularibus ecclesiis, pastores saepe pro suo zelo et ingenio alias caeremonias et orationes adiungebant, sicque fiebat ut non paucae diversitates tractu temporis irrepserint. Ex libellis, in quibus ritus illi scribebantur plures ex omni regione atque aetate ad nos pervenerunt. Ex his proinde cum certitudine sciri potest quomodo in Ecclesia occidentali antiquitus sacri ordines collati sunt.

Ad ordinatim procedendum examinemus primum Sacramentaria, deinde Ordines et Pontificalia.

a) - *Sacramentaria.*

267. - Sacramentarium Leonianum. Quum decursu temporis rituum diversitas in variis ecclesiis nimis crevisset, S. Leo Magnus († 461), ad sacram peragendam liturgiam et ad Sacramenta administranda primus agressus est publicam quamdam normam dare. Hac stabili norma intendebat Sanctus Pontifex

[1] *Opera omnia tom. VI.*

[2] Cfr. quoque Catalanus, *Pontif. Roman. Proleg. cap. 2.*

abusus tollere ac praecavere, unitatem sacrorum tueri, ritus dignitatem promovere. Tradit in ea, adiunctis non paucis ab ipso compositis novis orationibus, qui sacra liturgia per annum celebranda sit et quae in Sacramentorum administratione sint observanda.

268. - Licet textus sincerus huius, uti inscribitur « *Libri Sacramentorum Ecclesiae Romanae* », qualis scilicet e manu Pontificis prodiit, hucusque inventus non sit, et in antiquissimo, qui exstat, codice a Migne (*P. L. tom. 55*) recuso, desint rubricae *agendorum* pro administratione Sacramentorum, adsunt tamen omnia *dicenda* in administratione sacrorum ordinum, orationes scil. pro ordinatione episcopi, presbyteri et diaconi. Sunt autem eaedem ac quae in Sacramentario Gelasiano, mox referendo, habentur (licet non eodem ordine dispositae et minores numero); unde ab adducendo textu abstinemus. Iamvero *omnes illae orationes ad solam manuum impositionem referuntur, neque ulla adest oratio vel formula, quae ad instrumentorum traditionem vel ad manus impositionem cum verbis* **Accipe Spiritum Sanctum** *alludit.* Unde necessario concludendum est, superiores ordines secundum Sacramentarium S. Leonis Magni sine instrumentorum traditione, sola manus impositione ac oratione conferri.

269. - Sacramentarium Gelasianum. S. Gelasius I circa a. 495 secundus fuit sacrorum rituum instaurator, edita nova rituum norma, meliori ordine redacta. Huius Sacramentarii genuinum codicem primus detexit B. Thomasius eumque an. 1680 publici iuris fecit. Est insignis codex Christinae Sueciae reginae, quem B. Thomasius *in Praef. tom. 6,* et cl. Morinus *lib. 1 de Poenit. c. 1, n. 15* annum septingentesimum antecedere coniiciunt.

270. - *Titulus XX libri I Sacramentorum* sic inscribitur: « *Ordo qualiter in Romana Sedis Apostolicae ecclesia presby-* « *teri, diaconi vel subdiaconi eligendi sunt* ».

Praescribit autem:

« *Postquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione,* « *annunciat pontifex in populo dicens:* **Auxiliante Domino et**

« **Salvatore nostro Iesu Christo elegimus in ordine diaconi** *sive* « **presbyteri** *illum* **subdiaconum** *sive* **diaconum de titulo illo.** « **Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo et** « **propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor** « **sit communionis suae.** [1] *Et post modicum intervallum mox* « *incipiunt omnes* **Kyrie eleison** *cum laetania. Hac expleta* « *ascendunt ipsi electi ad sedem pontificis et benedicit eos a quo* « (ad quod: *Sacr. Gregor.*) *vocati sunt, et descendunt. Stant in* « *ordines suos* (ordine suo: *Sacr. Gregor.*) *benedictione percepta* ». Quomodo autem facienda sit haec benedictio, quae est ipsa ordinatio, ut notat B. Thomasius et res ipsa loquitur, statim subiungitur. Sequuntur scilicet *orationes* in variis ordinationibus fundendae, et pro *manuum impositione* remittitur ad aliam partem Sacramentarii, ubi dicitur quomodo haec pro singulis ordinibus facienda sit.

Orationes sunt:

« Ad ordinandos presbyteros: **Oremus, dilectissimi, Deum** « **Patrem omnipotentem,** etc. ..... **Exaudi nos, Deus salutaris** « **noster** .....

« Consecratio: **Domine S. Pater omnipotens aeterne Deus,** etc.

« Consummatio presbyteri: **Sit nobis fratres communis ora-** « **tio,** etc. .....

« Benedictio: **Sanctificationum omnium Auctor,** etc.

« Ad ordinandos diaconos: **Oremus, dilectissimi, Deum Pa-** « **trem omnipotentem,** etc. ..... **Domine Deus preces nostras** « **clementer exaudi,** etc. .....

« Consecratio: **Adesto quaesumus, omnipotens Deus,** etc. ...

« Ad consummand. diacon. officia: **Commune votum com-** « **munis oratio prosequatur,** etc.

« Benedictio: **Domine sanctae spei** » etc.

271. - Rubrica *impositionis manus* invenitur tit. XCV, qui inscribitur: « *Incipit ordo de sacris ordinibus benedicendis* ». Ibi primum dicitur de tempore ordines conferendi, de interstitiis, de aetate et qualitate ordinandorum; tum sequitur:

[1] Scil. *ne ea privetur, falsum dicendo,* ita aliqui auctores; alii putant mendam esse atque legendum sicut in Sacramentario Gregoriano: *conditionis suae.*

« **Episcopus** *cum ordinatur duo episcopi ponant et teneant « Evangeliorum codicem super caput eius: et uno super eum « fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, « manibus suis caput eius tangant.*

« **Presbyter** *cum ordinatur, episcopum* (o) *eum benedicen- « tem* (e) *etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt.*[1]

« **Diaconus** *cum ordinatur solus episcopus, qui eum bene- « dicit, manum super caput illius ponat, reliqui vero sacerdotes « iuxta manum episcopi caput illius ponant: quia non ad « sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.*

« **Subdiaconus** *cum ordinatur, quia manuum impositionem « non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et « calicem vacuum; de manu vero archidiaconi accipiat urceo- « lum cum aqua et aquimantile ac manutergio* ».

Deinde acolythi, exorcistae, lectoris, ostiarii ordinationis instrumenta cum propriis formulis imperativis indicantur.

Sequitur tit. XCVI: « *Benedictiones super eos qui sacris « ordinibus benedicendi sunt* » pro ostiario, lectore, exorcista, subdiacono.

Tit. XCVII et XCVIII habent orationes dicendae in Missis ordinationis diaconi et presbyteri. Tit. XCIX inscribitur:

« ORAT. DE EPISCOPIS ORDINANDIS: *Oremus dilectissimi nobis, « ut his viris, etc.... Exaudi Domine supplicum preces, etc.... « Propitiare Domine supplicationibus nostris, etc....* (ad ver- « bum ut in hodierno Pontificali).

« CONSECRATIO: *Deus honorum omnium, etc.* ».[2]

272. - Itaque secundum Sacramentarium Gelasianum ordines minores instrumentorum traditione conferuntur, sicut etiam subdiaconatus. Ad diaconum vero et sacerdotem instituendum nulla occurrit instrumentorum porrectio, sed tota eorum ordinatio sola manuum impositione et oratione perficitur. Notandum etiam positive et clare excludi ex eorum ordinatione instru-

[1] Addendum: *manus suas iuxta manum episcopi super caput illius ponant,* quae verba per evidentem errorem amanuensis posita sunt in ordinatione diaconi.

[2] B. Thomasius, *Opera omn., tom. 6.* Invenitur etiam apud Migne. P. L. 74, et apud Morinum, *De sacra Eccl. Ord., pars 2.*

mentorum dationem, quum de subdiacono dicatur ei *propterea* dari ab episcopo in ordinatione patenam ac calicem quod manuum impositionem non recipiat.

273. - Sacramentarium Gregorianum. S. Gregorius Magnus circa annum 591 tertium concinnavit Sacramentarium. Quae in Gelasiano distantibus nimis titulis habebantur (vide num. praec., tit. XX et tit. XCV seq.) et nihilominus ad eamdem sacram actionem referebantur, haec Gregorius ad meliorem facilioremque ordinem reduxit.

Ecce quomodo secundum Sacramentarium Gregorianum sacramentum Ordinis ministrari debet:

274. - « Incipit ordo ad sacros ordines benedicendos.

« *Maiores gradus ante Evangelium, minores vero post com-* « *munionem dantur* ».

Sequuntur ordinationes *ostiarii, lectoris, exorcistae, acolythi, subdiaconi,* cum iisdem instrumentis et formulis ac hodiernum praescribit Pontificale Romanum ; cum iisdem etiam orationibus et prosequendi modo, si excipias monita Pontificis, quae apud Gregorium in ordinibus minoribus desiderantur, et pro subdiaconatu, ipsi formae traditionis instrumentorum intexta sunt.

275. - Sequitur: « Ordo qualiter in Romana Ecclesia dia- « coni et presbyteri ordinandi sunt ..... *Postquam antiphonam* « *ad Introitum dixerint, data oratione, venit archidiaconus et* « *offert eum qui ordinandus est Pontifici, ita dicens:* **Postulat** « **sancta mater Ecclesia, et hunc praesentem subdiaconum ad** « **onus diaconii, vel diaconum ad onus presbyterii ordinetis.** « *Interrogat episcopus:* **Scis illum dignum esse?** *Respondet* « *offerens:* **Quantum humana fragilitas,** etc. *Et tunc annuntiat* « *pontifex populo, dicens:* **Auxiliante Domino** », etc.

276. - Reliqua ut supra in Sacramentario Gelasii; sed statim post verba: « *stant in ordine suo benedictione percepta* », sequitur: « *Diaconus cum ordinatur* » etc. ut supra sine amanuensis erroribus, et statim indicantur: « *oratio:* **Oremus dilectis-** « **simi,** etc. ... **Exaudi Domine,** etc. ... *Consecratio:* **Adesto quae-** « **sumus,** etc. ... *Quando stolam eum induis, sic dices:* **Per hoc**

« **signum vobis diaconatus officium humiliter imponimus** » ..... Et nihil aliud.

Sequitur sine mora: « *Presbyter cum ordinatur, etc.* ut supra « sine mendis. *Oratio ad presbyteros ordinandos:* **Oremus dile-** « **ctissimi,** etc. ... **Exaudi nos,** etc. ... *Consecratio:* **Domine sancte,** « **Pater omnipotens,** etc. Qua finita oratione sequitur statim: « *Hic vestit ei casulam:* **Benedictio Patris et Filii et Spiritus** « **Sancti descendat super te,** etc. ... *Consecratio manus:* **Conse-** « **crentur manus istae** », etc. Et omnino nihil aliud, sed statim sequitur:

« *Episcopus cum ordinatur, etc.* ut supra. *Oratio ad ordi-* « *nandos episcopos:* **Oremus dilectissimi,** etc. ... *Benedictio epi-* « *scoporum:* **Adesto supplicationibus,** etc. ... *Alia:* **Propitiare** « **Domine,** etc. ... *Consecratio:* **Deus honorum omnium,** etc. ... « *Hic accipis chrisma ...., Hic fundis in caput eius* » ..... Et nihil aliud.[1]

277. - Ex quibus clarissime apparet in superioribus ordinibus secundum Sacramentarium Gregorianum instrumenta data non fuisse, sed sola manuum impositione et oratione sacram potestatem fuisse collatam. Quod apprime etiam eo confirmatur quod praeter manuum impositionem praescribuntur aliae caeremoniae, tunc iam ecclesiastica auctoritate introductae, uti in diaconi ordinatione impositio stolae, in presbyteri ordinatione impositio casulae ac manuum consecratio, in episcopi ordinatione capitis unctio. Si instrumenta fuissent tradita, certo certius commemorata essent.

278. - Textum allatum cl. Hugo Menardus ex antiquissimo codice Corbeiensi (*Missale S. Eligii*) descripsit notisque illustratum in lucem dedit. Cl. Morinus dicit textum illum et textum codicis Vaticani, quem Angelus Rocca publici iuris fecit, « *ex* « *libris secretarii Basilicae SS. Petri et Pauli descriptos esse,* « *quibus Romani Pontifices ad officiorum ecclesiasticorum ope-* « *rationem utebantur* »;[2] unde profecto de eorum fide et sinceritate nullus est dubitandi locus.

[1] Migne P. L. 78. 220.

[2] *De sacr. Eccles. Ordin., pars 2.*

279. - At hic occurrit aliquid notatione dignum. Codex ille *Vaticanus* in omnibus quidem plene concordat cum cod. *Corbeiensi;* atvero in ordinatione *Episcopi* parumper discrepat. Ibi primum occurrit: « *Examinatio in ordinatione Episcopi ante « litaniam facienda* », quae in Corbeiensi aliisque codicibus deest, quod quidem indicare videtur codicem aliis esse recentiorem. Sed quod maiorem admirationem movet est rubrica, quae in ordinatione Episcopi statim post impositionem manus praecipit: « *Hoc facto accipiat patenam cum oblatis et calicem cum « vino et det ei dicens:* **Accipe potestatem offerre sacrificium « Deo tam pro vivis quam pro defunctis** ».

280. - Est primum et unicum vestigium huius caeremoniae, quod in antiquissimis rituum codicibus invenitur. In nullo alio codice praeterquam in hoc Vaticano reperitur, ibique, ut diximus, tantum in ordinatione *episcopi.* Sunt autem plurimi codices Sacramentarii Gregoriani, iique optimae notae. Unde profecto inferendum est caeremoniam illam si non est posterioris epochae, ad minus adventitiam et secundarii valoris habitam fuisse. Secus enim omissio non esset regula et saltem in margine adiecta inveniretur.

281. - In codice porro Vaticano in ordinatione *sacerdotis,* uti iam notavimus, nulla occurrit instrumentorum porrectio, sicut neque in ordinatione *diaconi;* neque in ordinatione *episcopi* sermo ullus est impositionis manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*

Quod autem non iam in sacerdotis sed in episcopi ordinatione invenitur oblatio panis ac vini cum verbis: *Accipe potestatem offerre sacrificium, etc.*, cl. Morinus eo explicari posse putat, « *quod sacrificium episcopo primum convenit, deinde « presbytero, permittente episcopo, ut adnotant rituales et ca- « nones* ». [1]

282. - Cum textu itaque *Corbeiensi* adamussim concordant omnes alii quotquot inveniuntur antiqui codices. Ita ille quem Pamelius in lucem edidit codex ecclesiae Rhemensis, qui est

[1] *De sacr. Eccl. Ord., pars 3, Exerc. 7, cap. 1.*

saec. IX. [1] Similiter alius antiquissimus CORBEIENSIS, anno 853 a Rodrado ex variis exemplaribus conscriptus, qui solum caret oratione *Oremus dilectissimi* in ordinatione episcopi. [2] Pariter codex THUANUS eiusdem saec. IX; codex SENONENSIS, saec. IX, in quo hoc notatu dignum occurrit quod amanuensis omiserat in ordinatione diaconi rubricam de impositione stolae. Iamvero « *folio uno ante ordinationum initium,* ut notat Morinus, *alia* « *manu sed minus accurata in loco vacuo, suppletum est in* « *hunc modum: Benedictio ad stolas vel planetas* » *etc.* [3] Quod sane argumentum est fortissimum, traditionem instrumentorum in usu non fuisse; secus enim a fortiori huius caeremoniae omissio in margine suppleta esset. In hoc codice hae quoque aliae caeremoniae occurrunt in *ordinatione episcopi:* « *Ad dandum Evangelium:* **Accipe Evangelium et ito et doce omnes gen-** « **tes** ». Et post consecrationem*:* « *Ad virgam dandam*: **Accipe** « **virgam pastoralem,** etc. *Ad annulum dandum:* **Accipe annu-** « **lum** », etc.

283. - Cum eodem illo Corbeiensi textu prorsus etiam conveniunt tres antiqui codices eccl. NOVIOMENSIS et GELLONENSIS saeculi pariter IX. [4] Item alius CORBEIENSIS, quem cl. Morinus ex variis certisque indiciis annum 955 praecedere arguit. [5]

284. - Sicut ergo secundum Sacramentarium Leonianum et Gelasianum ita pariter secundum Gregorianum sacerdotes et diaconi instituuntur sola manus impositione et oratione, absque ulla porrectione instrumentorum. Quodsi in ordinatione episcopi instrumentorum datio sub formula *Accipe potestatem offerre sacrificium,* etc. occurrat in uno solo codice, omnia probant caeremoniam illam omnino secundariam esse nec ullo modo consideratam tamquam partem essentialem ordinationis.

Neque dici potest illam caeremoniam amanuensis errore in ordinatione episcopi positam esse, dum locus eius proprius erat

[1] Cfr. Morinus, *l. c., pars 2.*

[2] Cfr. Morinus, *l. c.*

[3] *L. c.*

[4] Cfr. apud Martene, *De antiq. Eccl. rit., lib. 1, cap. 8, art. 11.*

[5] *De sacris Eccl. Ordin., pars 2.*

in ordinatione sacerdotis. Nam materia ad huiusmodi errorem ansam non dabat; nullus alius codex eum exhibet; codex insuper ipse accuratissime descriptus est.

285. - Conclusio. Ex dictis evidens est antiquitus in Ecclesia Romana seu Occidentali superiores ordines sola manuum impositione et oratione fuisse collatos; quumque dubitari minime possit quin episcopi, sacerdotes et diaconi, secundum Sacramentaria Leonis, Gelasii et Gregorii ordinati, veri fuerint, atque etiam nunc, si ita ordinarentur, veri sint episcopi, sacerdotes et diaconi, fatendum omnino est ad essentiam sacramenti Ordinis nullatenus requiri instrumentorum porrectionem nec impositionem manus cum formula imperativa: *Accipe Spiritum Sanctum*. Ineptum porro effugium esset dicere Sacramentaria ritum essentialem non habere et codices omnes illum omisisse. Si hoc admitti deberet, iam nihil prorsus probari posset. Sacramentaria itaque unanime ac irrefragabile testimonium dant, ritum essentialem sacrae ordinationis alium non esse quam manus impositionem et orationem.

b) - *Ordines Romani et Pontificalia.*

286. - Praeter praedicta Sacramentaria innumeri inveniuntur Ordines. Vocantur autem Ordines libelli, qui rationem seu ritum exhibent ab auctoritate ecclesiastica stabilitum ad rite peragendas functiones sacras, et imprimis ad recte procedendum in Sacramentorum administratione. Libelli pro collatione sacrae potestatis innumeri inveniuntur. Hi plerumque habent Ordinem Romanum; saepe tamen superadditis aliis atque aliis caeremoniis, quae a doctis et piis episcopis, Ecclesia in hac provincia tunc libertatem relinquente, progressu aetatis introductae sunt.

Quotquot in probatis auctoribus, ut Beato Thomasio, Mabillon, Martene, Morino, Catalano, etc., invenire potui codices diligenter examinavi, et hic fideliter referam omnia, quae ad quaestionem spectant eamque illustrare aliquo modo possunt.

287. - Vetus ordo Gallicanus invenitur in Missali Francorum (ecclesiae ut videtur Pictaviensis), quod B. Thomasius

anno 1680 publicavit e codice, quem cl. Mabillon [1] ad saec. VII referendum, Morinus[2] vero intra annos 511-560 scriptum esse autumat. Initio ibi occurrit ritus ordinationis. Praecedit rubrica generalis: « *Ostiarius cum ordinatur, etc.* », et indicantur singulorum ordinum instrumenta. De superioribus ordinibus audit:

« **Diaconus** *cum ordinatur, solus episcopus, qui ei benedicit* « *manum super caput illius ponat.*

« **Presbyter** *cum ordinatur episcopus ei benedicat, manum* « *suam super caput eius teneat: etiam omnes presbyteri qui* « *praesentes sunt manus suas iuxta manum episcopi super* « *caput illius teneant.*

« **Episcopus** *cum ordinatur duo episcopi manus eorum super* « *caput eius ponant; et teneant Evangeliorum codicem supra* « *verticem eius; et uno super eum infundente benedictionem,* « *reliqui omnes episcopi qui adsunt manibus suis super caput* « *eius teneant* ».

288. - Sequuntur benedictiones ostiarii, acolythi, etc.

« *VI Allocutio ad* **subdiaconum** *ordinandum: Exhibeatur in* « *conspectu episcopi patena et calix vacuus, et dicat ei epi-* « *scopus: Vide cuius ministerium tibi traditur, etc. Et tradet ei* « *calicem et patenam. - Praefatio ordinationis subdiaconi: Ore-* « *mus Deum, etc. - Benedictio subdiaconi: Domine sancte, etc.*

« *VII Allocutio ad populum in ordinatione* **diaconi:** *Dilectis-* « *simi fratres, etc. - Oratio ad diaconum ordinandum: Oremus* « *dilectissimi, etc. - Consecratio: Adesto quaesumus, etc. - Ad* « *consummandum diaconatus officium: Commune votum, etc. -* « *Benedictio: Domine sancte, etc.*

« *VIII Allocutio ad populum in ordinatione* **presbyteri:** « *Quoniam dilectissimi fratres, etc. - Oratio ad presbyteros* « *ordinandos: Oremus dilectissimi, etc. - Item alia: Exaudi* « *nos, etc. - Consecratio: Domine Sancte Pater, etc. - Consum-* « *matio presbyterii: Sit nobis fratres, etc. - Item benedictio:*

[1] *De lit. Gallic. lib. 3. num. 7.*

[2] *De sacr. Eccl. Ord. pars 2.*

« *Deus sanctificationis Auctor, etc. Consecratio manus: Con-*
« *secrentur manus istae, etc. Item alia: Unguantur manus*
« *istae, etc.*

« *IX Exhortatio ad populum cum* **Episcopus** *ordinatur:*
« *Servanda est dilectissimi, etc. - Oratio et preces de episcopis*
« *ordinandis: Oremus dilectissimi - Exaudi Domine - Propi-*
« *tiare Domine - Collectio sequitur: Deum totius sanctifica-*
« *tionis, etc. - Consecratio: Deus honorum omnium, etc.* ».

289. - Huic ordini in omnibus concordat ritus qui invenitur in pervetusto Missali ecclesiae Ecolismensis saeculi ix.

Uti patet, antiqui illi ordines non solum non cognoscunt manus impositionem cum formula *Accipe Spiritum Sanctum,* sed neque traditionem libri Evangeliorum in ordinatione diaconi et instrumentorum in ordinatione sacerdotis. Immo totus textus et contextus eam clare excludunt.

290. - Ordo de sacris ordinibus, publicatus a Gerbert *Monumenta veteris liturgiae Alemannicae,* et relatus a Migne inter Monumenta liturgicae saec. x.[1] In eo ad conferendos ordines minores instrumentum tradendum cum relativa formula indicatur. De subdiaconatu audit sicut in *antiquis Statutis:* « *Sub-*
« *diaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit,*
« *patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem va-*
« *cuum* », etc. Pro ordinatione vero diaconi et presbyteri non praescribitur nisi manus impositio cum tribus consuetis orationibus.

291. - Eadem omnino habet codex Einsidlensis, quem cl. Migne refert.[2] In eo occurrit etiam ordinatio episcopi, quae deest in praecedenti codice. Sed ordinatio haec episcopalis nullam habet impositionem manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*

292. - Ex 15 ordinibus Romanis, a cl. Mabillon publicatis,[3] quatuor tantum de s. ordinationibus loquuntur. Ordo VIII, desumptus ex « *pervetusto codice Palatino Vaticano, signato*

[1] P. L. 138. 1003.

[2] L. c.

[3] *Museum Italic. tom. 2.*

« *n. 487* », ut dicit Mabillon in praevia *Admonitione,* et qui « *continet puriorem ordinem Romanum de ordinatione sacro-* « *rum ministrorum quam qui in vulgatis habetur* », estque saeculo IX antiquior, pro subdiaconatu assignat traditionem calicis; sed in ordinatione *diaconi, presbyteri, episcopi* de nulla traditione libri Evangeliorum, panis et vini, vel de impositione cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* sermo est.

293. - In ORDINE IX, qui desumptus est ex antiquo codice *S. Galli,*[1] pariter absolutum silentium servatur de eisdem caeremoniis. Idem dicendum de ordine codicis S. AMANDI, qui codex secundum cl. Duchesne saeculo IX scriptus est, et ritus refert, qui Romae vigebant sub finem saeculi VIII. De aliis duobus ordinibus a Mabillon recensitis, de XIII scil. et XIV infra n. 316 et n. 361 dicetur.

294. - Secundum *Pontificale Landolfi,* Ep. CAPUAE VETERIS, saeculi IX, quod e bibliotheca Casanatensi deprompsit Catalanus,[2] ordines minores et subdiaconatus cum solitis instrumentis et formulis conferuntur. In *diaconatu* vero, *presbyteratu* et *episcopatu* nulla porrectio libri Evangelii et panis ac vini, nulla quoque manus impositio cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum.* Hic notatu dignum est quod in hoc Pontificali plures inveniuntur rubricae posteriori manu adiectae, ut subdiaconi instructio, formulae impositionis stolae diaconalis et sacerdotalis, casulae presbyteralis, etc. Quod sane monstrat, progrediente aetate caeremonias crevisse, sed traditionem instrumentorum et impositionem manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* in tribus ordinationibus sacramentalibus illa tempestate ibi cognita nondum fuisse.

295. - Pontificale CATURCENSE, saeculi X, quod recenset cl. Martene,[3] similiter nullam habet in ordinibus superioribus

[1] De hoc codice ita loquitur B. Thomasius *Opusc. VI* (op. omn. tom. 7) : « *Ex Roma-* « *nis ordinibus impressis et mss. hic S. Galli ordo inter puriores sincerior mihi visus* « *est; nam varios aliarum ecclesiarum ritus non admiscet, quod raro in caeteris ordi-* « *nibus reperitur. Scriptus est hic S. Galli codex ad finem octavi saeculi* ».

[2] *Comment. in Pont. Rom. Appendix post tit. 12.*

[3] *De antiq. Eccl. rit. lib. 1, cap. 8, art. 11. Ordo V.*

diaconatus, presbyteratus et episcopatus instrumenti traditionem aut manus impositionem cum verbis imperativis *Accipe Spiritum Sanctum.*

296. - In vetusto Pont. Egberti Eboracensis, saeculo x, pro singulis ordinibus minoribus sicut pro subdiaconatu indicantur nota instrumenta et formulae imperativae porrectionis.

In ordinatione *diaconi* sic legitur: « *Diaconus cum ordinatur* « *circumdetur eius humerus sinister cum stola et tradat ei* « *sanctum Evangelium et dicat sibi:* **Accipe istud volumen** « **Evangelii et lege et intellige et aliis trade et tu opere adimple.** « *Deinde solus episcopus, qui eum benedicit, manus super caput* « *illius ponat quia non ad sacerdotium* » etc. Et indicantur consuetae orationes impositionis; et unguntur manus.

In ordinatione *presbyteri* praescribitur impositio manus cum solitis orationibus, aptatio stolae et impositio casulae cum formulis *Stola iustitiae, etc.* et *Induat te Dominus, etc.* - Deinde benedictio: « *Benedictio Patris etc. et sis benedictus et offeras* « *hostias placabiles pro peccatis et offensionibus populi omni-* « *potenti Deo, cui est honor et gloria* ».[1] - Unctio manuum et capitis.

In ordinatione *episcopi* imponuntur Evangelium et manus cum notis orationibus; unguntur manus et caput; traditur baculus et annulus cum formulis. - Uti patet, nulla in his ordinationibus traditio habetur oblatorum aut impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*[2]

297. - Huic Pontificali in omnibus hisce similia sunt (excepto quod non habent memoratam benedictionem sacerdotis) Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis saeculi ix, S. Dunstani Cantuariensis archiep. saeculi x, et duo alia Pontificalia monasterii Beccensis saeculi xiii.[3] - Item codex Anglicanus ecclesiae Rothomagensis, scriptus saeculo viii, quem recenset cl. Morinus.[4]

[1] Haec benedictio in multis antiquis Pontificalibus invenitur.

[2] Apud Martene *l. c. Ord. II.*

[3] Ibidem *Ord. III et XI.*

[4] *De sacr. Eccl. Ord. pars 2.*

298. - In codice, qui, ut dicit Morinus,[1] saec. x « *ab Italo « Romae vicino compositus* » est, quique non proprie ordinem Romanum habet, sed ecclesiae dioecesi Romanae vicinae, postquam de tonsura dictum est, « *Incipit de officiis clericorum, « de singulis septem ordinibus* ». Dicto quomodo singuli ordines minores et subdiaconatus conferendi sint, *diaconi* ordinationem exponit. Archidiaconus: « Postulat Mater Ecclesia etc. *Inter- « rog.:* Scis illum dignum esse? *Resp.:* Quantum humana fra- « gilitas etc. - *Pontifex:* Auxiliante Domino Deo etc. *Tunc « prosternat se Pontifex cum Archidiacono ante altare super « stramenta cum his qui consecrandi sunt... et ascendant... ad « sedem Pontificis, et benedicat eos ad quod vocati sunt et « descendant, et stent in ordine suo. Benedictione accepta Archi- « diaconus imponat Evangelium, et caetera ex more: et omnes « qui ordinati sunt, oblationes deferant ad manus Episcopi et « ab eo consecratas accipiant* ». Et statim subiungitur: « **Ordi- « natio diaconi:** *Diaconus cum ordinatur solus Episcopus etc. et « alloquitur populum his verbis:* Commune votum etc. **Praefatio:** « Oremus dilectissimi etc. Oremus, *et diaconus:* flectamus « genua. **Oratio:** Adesto quaesumus etc. **Ad consummandum « diaconi officium cum stola:** Accipe stolam etc. - **Benedictio « post acceptam stolam:** Exaudi Domine etc. ».

299. - Hic, ut patet, de libro Evangeliorum in diaconi ordinatione sermo fit. Notandum tamen clarum non esse quid sibi velit « *imponat* »; deinde etiam non iam imponi ab Episcopo ordinante, sed ab Archidiacono; tum insuper hoc fieri absque ulla forma concomitante. Unde patet, si quis allusionem hic videre vellet ad porrectionem libri Evangeliorum in diaconi ordinatione, non adesse revera nisi aliquod embryon porrectionis Evangelii prout nunc locum habet.

300. - Ordinatio *sacerdotis* sic procedit: Ordinandus adducitur « *a duobus diaconis usque ad presbyteros, et duo presby- « teri ducant ad sedem Pontificis. Et ipse se erigens interrogat, « si iustus et dignus sit. Illis autem attestantibus, eundem*

[1] *De sacr. Eccl. Ordin. pars. 2.*

« *dignum et iustum esse Dei gratia, eo inclinato imponat* « *manum super caput eius, et omnes presbyteri, qui cum eo* « *adsunt pariter, et ille dat orationem super eum.* **Allocutio ad** « **populum:** QUONIAM DILECTISSIMI FRATRES etc. - **Praefatio:** « OREMUS DILECTISSIMI etc. OREMUS, *et dicat:* FLECTAMUS GENUA, « *sequitur:* EXAUDI NOS etc. - *Hic reflectatur orarium super* « *humerum dexterum, dicens ad eum:* ACCIPE IUGUM DEI etc. « *Hic vestiens eum casula dicit:* STOLA INNOCENTIAE etc. *Sequitur* « *benedictio:* DEUS SANCTIFICATIONUM OMNIUM AUCTOR etc. *Expleta* « *autem oratione ac capiens oleum faciat* ✠ *super manus ambas* « *ita dicendo:* CONSECRARE etc. *Hoc facto accipiat patenam cum* « *oblatis, et calicem cum vino, dicat:* ACCIPE POTESTATEM OFFERRE « SACRIFICIUM DEO, MISSAMQUE CELEBRARE, TAM PRO VIVIS QUAM « PRO DEFUNCTIS, IN NOMINE DOMINI. *Benedictio:* BENEDICTIO DEI « PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI etc. ».

301. - In hoc itaque codice prima vice in ordinatione sacerdotis occurrit porrectio patenae cum pane et calicis cum vino sub nota formula *Accipe potestatem etc.* Deest tamen omnino impositio manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris etc.*, sicut etiam in ordinatione *episcopi*, quae statim in codice sequitur desideratur impositio manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum.*

302. - In duobus codicibus BELLOVACENSIBUS, altero exeuntis saeculi x, altero morientis saeculi xi haec habentur:

In ordinatione *diaconi* praescribitur impositio manus episcopi cum solitis orationibus; liber Evangeliorum non traditur; manus non imponitur cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum,* sed finitur ordinatio cum stolae impositione. In ordinatione *presbyteri* sola impositione manuum et orationibus Sacramenti collatio perficitur. Nulla ibi occurrit panis aut vini porrectio, nulla impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata,* etc.

Ritum ordinationis *episcopi* non habent.

303. - Atvero in ordinatione diaconi, ut animadvertit cl. Morinus, « *in posteriore* (codice) *adnotatum erat in extrema mar-* « *gine, alia manu et charactere post haec omnia: Tunc por-*

« *rigit episcopus ei textum Evangelii, ita dicens:* **Accipite licen-**
« **tiam legendi Evangelium in Ecclesia Dei** ». Similiter in ordi-
natione presbyteri in ultima pagina posterioris codicis « *in*
« *margine infima alia manu et charactere additum erat: Postea*
« *dat eis episcopus calicem ita dicens:* **Accipite calicem et**
« **habetote potestatem atque licentiam offerre sacrificium Deo**
« **tam pro vivis quam pro defunctis fidelibus** ». [1]

304. - Ex quibus apparet aetate illa, saeculis dico X, XI, XII, factam esse in administratione sacramenti Ordinis introductionem caeremoniae traditionis instrumentorum. Sicuti autem fieri solet in similibus casibus principio hic illicve invenitur; paulatim alibi adiungitur, initio quidem in margine, deinde in novis codicibus, in textu ipso; serpit ita pedetentim et tandem ubique recipitur. Quod autem caeremonia haec nequaquam initio suae introductionis considerabatur ut materia et forma Sacramenti, sed solummodo ut maioris solemnitatis et explicationis, clare elucet tum ex eo quod in antiquis ritibus nihil immutabatur; tum etiam ex ipso incerto initio et incompleta forma caeremoniae, quae hic illic occurrit; tum maxime ex eo quod nullo Supremae Potestatis actu solemni, sed sola naturali, ut ita dicam, rituum evolutione introducta fuit.

305. - In Pontificali ecclesiae Noviomensis, saeculi X, in ordinatione *diaconi* post impositionem manus cum tribus solitis orationibus haec occurrit rubrica: « *Post haec accipiant de* « *manu episcopi textum Evangeliorum, dicente episcopo:* **Acci-**
« **pite potestatem legendi in Ecclesia Dei Evangelium tam pro**
« **vivis quam pro defunctis in nomine Domini** ».

Similiter in ordinatione *presbyteri* habetur: « *Expletis autem* « *orationibus* (impositionis manuum) *accipiens chrisma* », etc. unguntur manus. « *Hoc facto accipiat patenam cum oblatis et* « *calicem cum vino et det eis dicens:* **Accipite potestatem offerre**
« **sacrificium Deo, missamque celebrare tam pro vivis quam**
« **pro defunctis in nomine Domini** ». [2]

[1] L. c.

[2] Apud Martene, *l. c. Ordo VI.*

306. - Hic itaque tam in ordinatione diaconi quam in ordinatione sacerdotis occurrit caeremonia traditionis instrumentorum. Notandum tamen quod neque in ordinatione diaconi, neque in ordinatione presbyteri neque in consecratione episcopi occurrat caeremonia impositionis manus sub formula: *Accipe Spiritum Sanctum.*

307. - Cum Pontificali *Noviomensi* omnino concordat vetustus ordo Romanus Vallicellanus;[1] item Pontificale Salisburgense, saeculi xii [2] item Pontificale ecclesiae Bisuntinae, ad usum etiam ecclesiae Turonensis accommodatum, saec. xii,[3] et codex Canonicorum regularium S. Victoris in suburbano Parisiensi, qui inscribitur « *Officium Episcopi cum benedictionibus episcopalibus* » saeculi xii.[4] In his tamen duobus ultimis codicibus in ordinatione diaconi nondum habetur traditio libri Evangeliorum.

308. - Concordant pariter in relatis rubricis Pontificalis Noviomensis: Pontificale S. Cornelii Compendiensis, ad usum ecclesiae Suessionensis, saeculi xii; item Pontificale ecclesiae Cameracensis, saeculi xiii; Pontificale ecclesiae Apamiensis eiusdem ut videtur saeculi; Pontificale ecclesiae Noviomensis, saeculi xiv; Pontificale Romanum bibliothecae Colbertinae, quod aequalis esse videtur aetatis (apud Martene *l. c. ord. VII, XIII, XIV, XV, XVII*). Item codex ecclesiae Moguntinensis, saeculi xii.[5]

309. - In his omnibus multae quidem inveniuntur variationes et additiones, ad hodiernum Pontificale Romanum accedentes,

[1] « *Codex Vallicellanus,* ait Mabillon Comment. praev. n. II, *Ottonum tempore scriptus fuit* », saeculo itaque decimo.

[2] Tam Pontif. Salisburgense quam Ordo Rom. Vallicellanus inveniuntur apud Martene *l. c. Ordo VIII.*

[3] Apud Martene *l. c. Ordo X.*

[4] Apud Morinum *De sacr. Eccl. Ord. pars 2.*

[5] Apud Morinum *l. c.* Notandum in hoc codice sic legi: « *Post haec episcopus offert calicem cum patena praeparata cum hostia et vino, duobus vel pluribus ad tangendum dicens:* **Accipite potestatem offerre sacrificium Deo** » etc. Ex quibus verbis cl. Morinus *Exerc. 7, cap. I,* infert non data esse « *illa instrumenta omnibus, sed tantum quibusdam omnium nomine* ». Quae tamen illatio mihi certa non videtur.

sed nulla occurrit impositio manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum.* Deest etiam in ordinatione presbyteri rubrica explicationis casulae cum formula *Stola innocentiae induat te Dominus*, quae nunc statim excipit ultimam manus impositionem; sed formula haec in Cameracensi et Romano ponitur ante formulam *Accipe vestem sacerdotalem* etc., a qua avulsa fuerit quum caeremonia huius ultimae impositionis cum explicatione casulae introducta est.

310. Secundum codicem ordinationum ecclesiae Rhemensis, saeculi XII *diaconus* ordinatur impositione manus et orationibus; sed, uti notat Morinus, qui eum refert, adiunctum legitur: « *in margine e regione verbi* **ponat** (scil. manus in caput) *alio* « *atramento et scriptura recentiore*: **dicens: Accipe Spiritum San-** « **ctum** ». Datur liber Evangelii cum forma: *Accipite potestatem legendi Evangelium Dei.* Sed iterum « *nota est remissionis,* ait « Morinus, *ad marginem et in inferiori margine scriptura re-* « *centi et atramento plane alio:* **tam pro vivis quam pro defunctis** « **in nomine Domini. Amen** ».[1]

311. - In ordinatione *presbyteri* praescribitur manus impositio cum orationibus; deinde traditio panis et vini cum formula *Accipe potestatem* etc. Deinde « *in margine,* ait Morinus, « *e regione istarum dictionum adnotatur scriptura antiqua et* « *ad textus antiquitatem accedente:* **Accipe Spiritum Sanctum,** « **quorum remiseritis peccata** *etc.* (de impositione manus ad « haec verba nihil dicitur). *Et post completum ritum legitur in* « *margine manu recentiore adnotatum:* **Et post sumptionum** .... « **episcopus trahat unicuique casulam deorsum** ».

In ordinatione *episcopi* omnia ut supra; deest omnino impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*[2]

312. - In Pontificali ecclesiae Moguntinae, saeculi XIV, ordinatio longissima est. In ordinatione *diaconi* post eius instructionem: *Diaconum oportet* etc. sequitur: « *Hoc dicto, surgat* « *et transiens per circuitum capiti cuiuslibet ambas manus*

[1] *De sacr. Eccl. Ord. pars 2.*

[2] Apud Morinum *l. c.*

« *superponat ad quemlibet dicens singillatim:* **Spiritus San-**
« **ctus superveniat in te** *etc.; reversus ad altare dicat:* **Com-**
« **mune votum** ... *ut in Pontificali Romano* ». Post vestitionem datur liber Evangelii cum nota formula *Accipe potestatem* etc. - In ordinatione *presbyteri* praecedunt varia quaesita et responsa; dein eadem caeremonia impositionis manus ac supra, quam etiam presbyteri assistentes peragunt sequentes episcopum in gyrum; « *quo expleto episcopus dicat:* **Oremus dilectissimi** ..... « **Exaudi nos** ... **Domine S. Pater** ». Datur calix cum patena et oblatis sub formula *Accipe potestatem* etc. Sed, licet ordinatio abundet omni specie caeremoniarum, impositio manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris* etc. non habetur.

In ordinatione *episcopi* ad impositionem manus dicitur oratio *Propitiare Domine* etc. Formula *Accipe Spiritum Sanctum* non invenitur.[1]

313. - Pontificale ecclesiae Rothomagensis, saeculi xiv, in ordinatione *sacerdotis* praescribit impositionem manus cum consuetis orationibus; deinde etiam traditionem panis et vini cum nota formula. Insuper habetur haec rubrica: « *Episcopus* « *seipsum et alios communicat, et tunc successive imponit* « *manus super capita singulorum inclinata, dicendo cuilibet* « *quod sequitur:* **Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis** « (sic) *etc. Postmodum extendens casulam complicatam cuius-* « *libet, induit quemlibet eorum, manibus remanentibus iunctis,* « *dicendo sic:* **Stola innocentiae** *etc. et eum osculando dicit:* **Pax** « **Domini Amen** ».[2]

314. - In Pontificali collegii de Fuxo apud Tolosates, saeculi xiii, in ordinatione *presbyteri* haec leguntur: « *Episcopus* « *stans imponit manus super capita singulorum nihil dicens* « *secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae: et similiter* « *omnes presbyteri qui assistunt. Secundum vero consuetudinem* « *quarumdam ecclesiarum dicunt:* **Accipe Spiritum Sanctum**

[1] Apud Martene *l. c. Ord. XVI.*
[2] Apud Morinum *De sacr. Ord. pars 2.*

« **quorum remiseritis** *etc. Deinde deposita mitra dicit cantando* « **Oremus dilectissimi** *etc.* ». Cantatur *Veni Creator;* unguntur manus; porrigitur panis et vinum sub verbis *Accipe potestatem* etc.; sed nulla habetur in fine impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum,* quae etiam plane deest in ordinatione *episcopi.*[1]

Eadem formula in utraque ordinatione desideratur in alio ms. Pontificali fere eiusdem aetatis.[2]

315. - Secundum Pontificale ecclesiae Barensis, saeculi xiii, (cod. bibl. Angelicae) *diaconus* ordinatur impositione manus cum solitis orationibus; imponitur stola; datur Evangelium sub forma *Accipe potestatem* etc.; induitur dalmatica.

Presbytero imponitur manus cum consuetis orationibus; reflectitur orarium; datur panis et vinum sub formula *Accipe potestatem* etc. et hanc caeremoniam immediate sequitur: « *Tunc imponit manum super capita eorum dicens:* **Accipite** « **Spiritum Sanctum quibus remiseritis** etc. ».

In ordinatione *episcopi* praecedit examen et instructio; impositio Evangelii et manus cum orationibus: *Propitiare... Vere dignum* etc. etc. Verum non habetur, sicut neque in ordinatione diaconi impositio manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum.*[3]

316. - Huic omnino simile est Pontificale ms., cod. *bibliothecae Vaticanae* n. 4744, quod refert Catalanus,[4] excepto quod manuum impositio cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* in ordinatione sacerdotali locum habet in fine, sicut nunc post recitatum *Credo,* et quod etiam in ordinatione episcopi ante orationes impositionis manus invenitur formula: *Accipe Spiritum Sanctum.*

317. - Post tot recensitos Ordines dicendum remanet de *Ordine Romano Vulgato,* cuius secundam editionem curavit cl. Melchior Hittorpius in suo Opere *De divinis catholicae Eccle-*

[1] *Ibid.*

[2] *Ibid.*

[3] Apud Catalanum *Comment. in Pontif. Rom. Append. post tit. 12 et 13.*

[4] *L. c.*

siae officiis, Colon. 1568, quique invenitur etiam in *Bibl. max. veterum Patrum tom. 13, pag. 657*. De hoc Ordine, in quo invenitur tam in duplicata ordinatione diaconi quam in pariter geminata ordinatione sacerdotis instrumentorum traditio, ex proposito ad hunc ultimum locum dicendum distulimus.

318. - Ratio cur hunc libellum hucusque non adduximus est, quod sic dictus *Ordo Vulgatus* non est proprie Ordo sicut alii, hoc est libellus, sacras functiones peragendi ritum referens, certae cuiusdam epochae vel determinatae cuiusdam ecclesiae; sed est potius silva seu collectio non solum variorum Ordinum, verum etiam in uno eodemque ordine, puta in ordine sacrae Ordinationis, silva seu collectio variorum rituum et caeremoniarum ex diversis libellis diversarum ecclesiarum et diversarum epocharum collectarum.

319. - Hinc est quod licet truncus, ut ita dicam, seu stipes *Ordinis vulgati* antiquissimus sit, ex eo tamen ad aetatem certi cuiusdam rami aut folii, puta caeremoniae traditionis instrumentorum, concludi nullatenus possit. Ad sciendam aetatem huius illiusve caeremoniae, quae in *Ordine vulgato* occurrit, semper recurrendum est ad genuinos libellos, seu Ordines, qui sine admixtione modum procedendi in aliqua sacra functione exhibent. « *Ordo ille Romanus*, ita earum rerum peritisimus beatus « Ios. M. Thomasius, *editus ab Hittorpio, farrago potius est « diversorum rituum secundum varias consuetudines, ita ut « antiquiores germanioresque Romanos ritus in tanta varietate « discernere sine eorum libellorum ope pene est impossibile* ».[1] Quod iudicium laudat suumque facit cl. Mabillon,[2] et caeteroquin evidenti veritate innititur.

320. - Ex dictis apparet quam indebite quidam doctores cum cl. Fagnano (vide supra num. 40) appellent ad veterem Ordinem Vulgatum ad probandum, Ecclesiam inde ab antiquo sacramentum Ordinis instrumentorum traditione ministrasse. Ipsis probandum remanet traditionem instrumentorum revera in anti-

[1] *Scholia ad respons. Opera omn. tom. 4, pag. 307.*

[2] *Museum Ital. tom. 2, Comment. praev. num. II.*

quissimo Ordine Vulgato fuisse. Quod quum non possint nisi ex aliis antiquissimis Ordinibus (quorum nullus, ut vidimus, eam habet), eorum argumentum valore omni destituitur.

321. - *Conclusio.* Itaque cum evidentia ex libris quoque ritualibus et pontificalibus colligitur, saeculis anteactis in ecclesia Occidentali ritum sacramentalem conferendi diaconatum, presbyteratum, episcopatum fuisse solam manuum impositionem cum invocationibus Spiritus Sancti; caeremoniam vero porrectionis libri Evangeliorum in ordinatione diaconi, calicis et patenae cum vino et hostia in ordinatione sacerdotis, impositionis manus cum formula *Accipe Spiritum Sanctum* in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi, per multa saecula fuisse plane incognita et inusitata. Insipiens enim et absurdum est asserere, omnes illos Ordines ac Pontificalia in omnibus regionibus uniformiter eumdem semper ritum, et ritum quidem essentialem, silentio praeteriisse; unicus enim ac praecisus finis cur conscripta sunt, fuit ut Pontifici in sacris peragendis ordinationibus secura essent agendi ratio et dux. « *Quis credat,* « rogat merito Martene, *tot rituales libros tot insignium eccle-* « *siarum, singulos ordinationum ritus adeo religiose et in* « *quibusdam adeo diffuse describentes in re tam essentiali* « *defecisse?* ».[1]

Prosequitur argumentum inquisitionis.

322. - Ad coronandam totam peractam inquisitionem, qua constat omnino, antiquitus ut ritum sacrae ordinationis superioris solam impositionem manuum cum orationibus cognitam fuisse, seriusque introductam esse caeremoniam traditionis instrumentorum et impositionem cum formula *Accipe Spiritum Sanctum,* iuvat nunc indagare, *quando* hae diversae caeremoniae introductae fuerint.

Ex codicibus liturgicis, qui a diversis saeculis praesto sunt, hoc induci potest cum multa probabilitate, uti iam hic illic insinuavimus. - Factum autem notabilissimum est (caeteroquin naturale omnino) quod uno eodemque tempore, quo caeremo-

[1] *De antiq. Eccl. ritib. lib. 1, cap. 8, art. 9, num. 12.*

niae illae propagatae inveniuntur in codicibus liturgicis, Scriptores quoque sacri incipiunt eas commemorare, primum quidem recte tanquam de caeremonia ritui superaddita ad maiorem explicationem potestatis traditae, deinde vero confuse. Caeremoniae illae significantes ac eloquentes videntur paulatim obscurasse ipsum ritum seu signum sacramentale sacrae Ordinationis. Argumentum utique fortissimum, quod deductionem factam ex libris caeremonialibus singulariter roborat. - Atque haec praecise fuit ratio cur supra num. 202 examen Scriptorum saeculi x, xi ac xii ad hunc locum fuerit remissum.

1. - De introductione et sensu traditionis panis et vini in ordinatione sacerdotis.

323. - Quodsi codices sacrorum rituum consulimus, caeremonia traditionis patenae et calicis cum pane et vino sub formula: *Accipe potestatem offerre sacrificium* etc. saeculo x introduci coepta videtur. Fortasse desumpta fuit ex ritu ordinationis episcopalis, quem supra n. 279 retulimus. Revera prima vice apparet in codice Italo, in Romae vicinio composito, de quo supra num. 298-300, et in codice *Vallicellano* ordinis Romani, de quo supra num. 307, et in libro Pontificali ecclesiae *Noviomensis* (cfr. num. 305), qui omnes saeculi x sunt, ut supra vidimus.

In aliis codicibus eiusdem saeculi, uti in Pontificalibus *Caturcensi, Eboracensi, Cantuariensi, Bellovacensi, Allemannico, Einsidl.* etc. etc., quae supra recensuimus, nondum occurrit.

324. - Ex saeculo xi codices fere non habentur. In *Bellovacensi* altero, illo scilicet qui ad finem saeculi xi scriptus est, primitus non inveniebatur; sed posteriori manu et alio charactere in margine adiecta legitur. Confer supra num. 302 et 303.

325. - Saeculo xii vero iam invenitur in omnibus, quos examinare potui, Pontificalibus. Occurrit in *Salisburgensi, Bisuntino, Turonensi, S. Victoris Paris., Suessionensi, Moguntino, Rhemensi,* etc. etc. Confr. num. 307, 308 et 310.

326. Saeculo XIII pariter quasi ubique invenitur. Eam habent Pontificalia *Cameracense, Apamiense, Tolosanum, Barense* etc. Confer supra num. 308, 314 et 315. Attamen desideratur adhuc in duobus Codicibus *Beccensibus,* confer num. 297, necnon in *Caeremoniali Romano,* quod iussu Gregorii X editum, describit quomodo electus in papam ordinari debeat, si nondum initiatus sit. [1]

327. - Saeculo XIV ubique invenitur in omnibus qui adsunt codicibus. Ita in Pontificalibus *Noviomensi* (num. 308), *Romano* (biblioth. Colbertinae, ibid.), *Moguntino* (num. 312), *Rhotomagensi* (num. 313), *Vaticanae bibliothecae Codice* (num. 316), etc.

328. - Ex hisce tuto concludendum videtur, saeculo X incoeptum esse introduci caeremoniam traditionis panis ac vini in ordinatione sacerdotali, ac paulatim propagatam saeculo XII iam quasi universalem fuisse in Occidente. Cui omnino concordat Benedictus XIV scribens, esse ritum hunc « *non ante* « *annos 700, aut ad summum 800, in Ecclesiam latinam inve-* « *ctum ex ritualibus plane consta*(re) ». [2]

329. - Apparet insuper ritum paulatim introductum esse, et ab una ad aliam ecclesiam sensim sine sensu migrasse, ad quod significantia ipsa caeremoniae non parum contulerit. Nullo decreto Concilii generalis vel S. Pontificis ordinatione haec rubrica praescripta invenitur, sed adiecta est arbitrio ecclesiae pastorum, qui in ordinandis caeremoniis Sacramentorum plena utebantur libertate et progressu aetatis tot alias rubricas ritui primaevo ordinationis addiderunt. Fortasse morum pravitas et crassa ignorantia ordinandorum illius aetatis etiam in causa fuit ut adiungeretur caeremonia, qua tam praeclare enuntiatur sublimis potestas, quae confertur.

330. - Ex relatis clarescit etiam, quo *fine* ac *sensu* caeremonia introducta sit, scilicet non ut locum teneret antiquae materiae et formae Sacramenti; haec enim intacta remansit talis, qualis ab initio Ecclesiae fuerat; sed ut sacra potestas, per manus impositionem collata, enucleatius explicaretur et

[1] Apud Mabillon *Museum Italic. tom. I, Ordo Rom. XIII.*

[2] *De Syn. lib. 8, cap. 10, num. 5.*

significantius repraesentaretur. Hinc etiam in *Pontificali Romano* bibl. Colbertinae, rubrica dicit: « *Accipiat patenam cum* « *oblatis et calicem cum vino et ponat simul in manibus* ORDI- « NATI *cuiuslibet per se,* etc. ».

331. - Quodsi nunc consulimus scripta auctorum ecclesiasticorum eiusdem aetatis, omnino confirmamur in eadem sententia, simulque videmus aliquomodo, qui parata paulatim sit via ad errorem, traditionem instrumentorum pro essentia sacramenti Ordinis habentem. Percurri scriptores omnes saeculi x, xi et xii, quantum eos invenire potui, et diligenter examinavi quae quaestionem aliquomodo tangere posse videbantur, atque fideliter quae inveni referam.

332. - SAECULO DECIMO nullus invenitur scriptor sive inter Graecos sive inter Latinos, qui alium ritum sacramenti Ordinis indicat quam manus impositionem.

Symeon Metaphrastes in suo opusculo, inscripto « *Epitome de gestis Sancti Petri* », quod ex Homiliis et Recognitionum libris Clementis compilavit,[1] ita S. Petrum loquentem inducit: « *Clementem autem hunc episcopum vobis hodie ordino* (χειροτονῶ)... (et prosequitur): *Ita cum perorasset et coram omnibus manus mihi imposuisset* (μοι τὰς χεῖρας ἐπιθείς) etc. »[2]

333. - **Regino Prumiensis** abbas ritum sacrae Ordinationis expresse nominat manus impositionem.[3]

Atto Vercellensis similiter.[4]

Expressius **Gerbertus** *(Sylvester II):* « *Quis dat,* inquit, « *frater episcope, gratiam episcopalem? Deus an homo? - Sine* « *dubio Deus; sed tamen per hominem. Homo imponit manus* « *et Deus largitur gratiam; sacerdos Deo servit supplici dex-* « *tera Deus benedicit potenti dextera* ».[5] Ex contextu patet haec etiam de sacerdotio intelligenda esse.

[1] Cotelerius apud Migne P. G. 2. 469.

[2] Num. 145 et 146 - Migne P. G. 2. 578.

[3] *De eccles. disciplinis et religione christ. lib. 1, capit. 386 et 412.* Migne P. L. 132. 267 et 272.

[4] *Capitulare cap. 30.* - P. L. 134. 35. - *Expos. 1 Ep. ad Timoth. 4.* - ibid. col. 677.

[5] *Sermo de inform. Epp.* - P. L. 139. 175.

334. - Animum tamen percellit, scriptores huius saeculi admodum parce de ritu ordinationis loqui, et ne ibi quidem eius mentionem facere, ubi materia ipsa tractata ad loquendum de eo inducere videtur. Omnia scripta illius temporis collineant potissimum in morum correctionem. Ita frustra de ritu ordinationis aliquid quaeritur in « *Statutis* » **Riculphi** Ep. Suessionensis; in « *Constitutionibus* » et in « *Epistola synodali* » **S. Odonis;** in « *Sermone synodali* » **S. Udalrici;** in operibus **Ratherii** Ep. Veronensis; in « *Collectione canonum* » **S. Abbonis** abbatis Floriacensis; in « *Canonibus* » **Elfrici,** Archiep. Cantuariensis; sicut etiam in monumentis liturgicis huius saeculi x, quae in *Patrologia tom. 132* habentur, exceptis quae supra n. 272 relata sunt. Ipse *Regino Prumiensis,* licet bis, ut dixi, impositionem manus commemorat, tamen in praeclaro suo opere « *De eccles. disciplinis et relig. christ.* », quod est vera canonum collectio, antiquas quidem omnes habet dispositiones de tempore et loco ordinationis, de aetate et qualitate ordinandorum, sed ne vetera quidem Ecclesiae statuta de ordinatione (relata supra n. 210) aliosve canones de ritu ordinationis habet.

335. - Saeculo undecimo sunt scriptores, qui essentiam sacramenti Ordinis in impositione manus reponant.

Gerardus Cameracensis episcopus in « *Actis Synodi Atrebatensis cap. 6 de sacris ordinibus* », relatis textibus S. Pauli ad Titum et Timotheum expresse dicit: « *Igitur cum presbyteri ordinantur per impositionem manuum sacerdotalis gratiae donum suscipiunt* ».[1]

336. - **S. Petrus Damianus** saepe de sacra ordinatione loquitur et manus impositione eam fieri dicit. Ita in *opusculo:* « *De Sacramentis per improbos administratis* » haec habet: « *In homilia de sacerdotibus facta, per impositionem manus simoniaci Spiritum Sanctum coelitus dari manifestissime confitetur* » (Gregorius). *Qui namque, inquit, sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de imposi-*

[1] Migne P. L. 142. 1293.

« *tione manus accipiunt? Per quam videlicet impositionem Spi-* « *ritus sanctus coelitus datur* ».[1] Et ex *cap. 2 et 3* ejusdem Opusculi elucet S. Petrum Dam. formam Ordinis reponere in invocatione Spiritus Sancti.

337. - Papa **Alexander II** in sua « *Epistola ad clerum et populum Lucensem* » contra simoniacas ordinationes, loquitur « *de sacra manus impositione per quam Spiritus Sanctus confertur* »[2]. - **B. Urbanus II** in sua « *Epistola de consecratione Ivonis Carnotensis* »[3], necnon in sua « *Oratione ad Ivonem consecratum* »[4] aliam materiam ordinis quam manus impositionem non commemorat.

338. - Attamen quod de saeculo x dictum est, scilicet auctores parcissime loqui de ritu ordinationis, hoc de XI quoque saeculo valet. Ita **Ioannes Rothomagensis** in suo libro « *De officiis ecclesiasticis* », licet multa habeat de ordinationibus, ritum nullibi tangit. De eo pariter silent **S. Gregorius VII** in suis epistolis; **S. Anselmus Lucensis** in « *Collectione canonum* »; **B. Lanfrancus** Cantuar. archiepiscopus in suis operibus.

Burchardus quoque Wormaciensis episcopus, qui Reginonem secutus « *Decretorum libros XX* » scripsit, ac integro libro secundo agit « *de sacris ordinationibus* », de ritu ipso silet, semel tantum eum tangens *cap. 6*, per transennam eum vocans manuum impositionem.[5] In monumentis quoque liturgicis saeculi XI, quae Migne tom. 151 collegit, de ritu ipso ordinationis sermo non fit.

339. - Causa haec, silentium dico scriptorum per conspicuum temporis intervallum, una cum neglectu studii et scientiarum illius aetatis, multum contribuerit, ut rectae notiones circa Ordinis sacramentum paulatim obnubilatae atque adulteratae sint. Ita versus finem saeculi XI **Bonizo,** Placentinus episcopus († 1089) scribit, non Domini praecepto sed solo exemplo ejus sacra-

[1] *Opusc. 30, cap. 1.* Migne P. L. 145. 525.

[2] Migne P. L. 146. 1388. - *Decret. Caus. 1, qu. 3, c. 9 Ex multis.*

[3] *Epist. 45.* - Migne P. L. 151. 326.

[4] *Ibid.* col. 563.

[5] Migne 140. 626.

mentum Ordinis nunc manus impositione ministrari ab Ecclesia. « *Sunt praeterea,* ait, *et alia Sacramenta, quibus nunc utitur* « *Ecclesia Dominico exemplo* quamvis non tradito praecepto, *ut* « *est... manus impositio qua baptizatis consignando Sanctus* « *datur Spiritus et quo reconciliantur peccatores matri Eccle-* « *siae, et* QUA EPISCOPIS ET SACERDOTIBUS ET LEVITIS VIRTUS TRA- « DITUR MINISTERII ». [1]

340. - SAECULO DUODECIMO auctores primum expresse incipiunt loqui de traditione instrumentorum in sacra ordinatione. Factum profecto eloquens ac notabile. Neque tamen omnes de ea loquuntur nec eodem sensu.

Honorius Augustodunensis presbyter (1122) in sua « *Gemma animae* », quae est quaedam Summa liturgica, *lib. 1, cap. 175 seq.* tractat de ordinibus minoribus et maioribus. Singulorum ordinationem commemorat, repetens semper: « *dum hi ordinantur,* « *traditur... ut sciant* » etc. Atvero *cap. 181 de Sacerdotibus* dicit: « *His Episcopus manus in ordinatione imponit, potesta-* « *tem ligandi atque solvendi tradit, quatenus ipsi ita vivant,* « *ut alios ligare ac solvere valeant. Iugum Domini suave eis* « *imponit, dum collum illorum stola cingit quatenus sic legi* « *Dei obediant, ut alios regere queant. Manus eorum chrismate* « *ungit, ut cuncta quae benedicunt, benedicta sint* » etc. [2] Porrectionem patenae ac calicis non commemorat; quum autem adeo diserte ac minutatim de ritu ordinationis loquatur, eam adhuc ignorasse videtur. Etiam in « *Sacramentario* » quod est epitome *Gemmae, cap. 24 de ordinandis* etc. de traditione instrumentorum tacet. [3]

341. - **Richardus** quoque Cantuariensis Archiep. († 1178) in sua « *Epistola ad Episcopos Angliae* », [4] **Petrus Cantor** (1197) in suo opere « *Verbum abbreviatum* » *cap. 60* [5] et **Hugo** Rothomagensis archiepiscopus in suo opere « *Dogmatum christianae*

[1] Libellus *de Sacramentis.* - Migne P. L. 150. 865.

[2] Migne P. L. 172. 599.

[3] *Ibid.* 759.

[4] Inter epist. Petri Bless. 53. Migne P. L. 207. 160.

[5] P. L. 205. 184.

fidei » *lib. 2, cap. 3 et 3,*[1] solius manus impositionis mentionem faciunt.

342. - Sed alii scriptores huius saeculi XII et mentionem faciunt caeremoniae traditionis patenae ac calicis, et nominatim etiam loquuntur de *significatione* huius in sacra ordinatione traditionis. **Hugo a S. Victore** (1141), **Petrus Lombardus** (1164), et quidam **Anonymus Auctor,** qui post Petrum Lombardum scripsit, expresse dicunt, eam *explicare* potestatem per manus impositionem traditam.

Hugo Victorinus dicit per manus impositionem dari potestatem offerendis acrificium.[2] Quod pluries repetit in opere « *de Sacramentis* » *lib. 2, part. 3, cap. 12,* referens etiam vetus Ecclesiae statutum de ordinatione sacerdotis. Deinde loquens de traditione instrumentorum: « *Hi,* inquit, *post invocationem Sancti* « *Spiritus stolam super utrumque humerum accipiunt... acci-* « *piunt et calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu* « *episcopi, quatenus his instrumentis potestatem* SE ACCEPISSE « *agnoscant placabiles Deo hostias offerendi* ».[3]

343. - *Petrus Lombardus* similiter reponit essentiam ordinationis sacerdotalis in manus impositione, cui « *adduntur verba* « *mystica* ». - « *Impositio manuum,* ait, *dat presbyterium ordi-* « *nato* ».[4] Deinde in *lib. sent. 4, dist. 24, n. 9,* tractans de presbyteris: « *Cum ordinantur,* inquit, *inunguntur eis manus, ut* « *intelligant* SE ACCEPISSE *gratiam consecrandi... accipiunt etiam* « *calicem cum vino et patenam cum hostiis, ut per hoc sciant* « SE ACCEPISSE *potestatem placabiles Deo hostias offerendi* ».[5]

344. - *Auctor anonymus,* qui declinante saeculo XII de sacris Ecclesiae ritibus scripsit, de sacerdotum ordinatione dicens: « *Cum ordinantur,* inquit, *unguntur eis manus, ut intelligant,* « *se accipisse gratiam consecrandi;... Accipit* (sic) *et stolam,* « *quae tenet utrumque latus, quia debet esse munitus armis*

[1] Biblioth, Max. tom. 22, pag. 1347.

[2] *Qq. in Epist. 1. ad Tim. qu. 28.* - Migne P. L. 175. 600.

[3] Migne P. L. 176. 429.

[4] *In ep. 1 ad Tim. 4, 14.* - P. L. 192. 350.

[5] P. L. 192. 904.

« *iustitiae contra prospera et adversa. Accipit calicem cum vino* « *et patenam cum hostiis, ut per hoc sciat,* **se accepisse** *pote-* « *statem placabiles Deo hostias offerendi* ».[1]

345. - Alii vero auctores minus caute et accurate loqui coeperunt. Ita **Stephanus de Balgiaco,** Augostodun. episcopus (fl. 1136), ordinationem sacerdotis describens dicit: « *Isti cum* « *ordinantur ab episcopo super capita eorum manum tenente* « *benedicuntur. Omnes autem presbyteri astantes cum episcopo* « *manus levant, et Spiritum Sanctum invocant. Invocatione* « *facta, stola super utrumque humerum ponitur, ut per arma* « *iustitiae a dextris et a sinistris muniantur. Datur eis calix* « *cum vino et patena cum hostia, in quo* TRADITUR *eis potestas* « *ad offerendum Deo placabiles hostias. Propterea oleo sancto* « *manus inunguntur* » etc.[2]

346. - Similiter **Ivo Carnotensis** (1117). Hic quidem ut *canonista* accurate locutus est; nam in praeclaris suis canonum collectionibus, in quibus Burchardum sequitur tam in *Decreto part. 6, cap. 12-19* quam in *Panormia lib. 3, cap. 33-40,*[3] vetera referens Ecclesiae statuta de ordinationis ritu, exactissime dicit, quo tradito instrumento et pronuntiata formula singuli ordines minores et subdiaconatus conferendi sint; diaconatum vero et sacerdotium sola manus impositione conferri dicit. Atvero ut *concionator* Ivo verba sua non satis ponderasse videtur. Nam in *Serm. II de excellentia sacrorum ordinum,* de sacerdotum ordinatione loquens: « *Accipiunt,* inquit, *et calicem cum vino* « *et patenam cum hostia de manu episcopi quatenus his instru-* « *mentis potestatem* ACCIPIANT *placabiles hostias Deo offerendi* ».[4] Haec oratoria verba, si sumantur ut iacent, canonistae mentem non exacte referunt.

347. - Longius adhuc eodem saeculo aberrasse videntur **Hildebertus,** Cenomanensis deinde Turonensis archiepiscopus (1134)

[1] *SS. Ecclesiae Rit. divinorumque off. Explicatio* (ex. Vaticano ms. Codice membran. n. 5046 pubblicata a Phil. Zazzera) *num. 106.*

[2] *Lib. de Sacramento Alt. Cap. 9 de ordine presbyteratus* - Migne P. L. 172. 1281.

[3] P. L. 161. 447 et 1137.

[4] Migne P. L. 162. 513.

et **Magister Bandinus** (1165), qui libros Sententiarum Petri Lombardi in compendium redegit.

Hildebertus Cenomanensis, si stricto sensu eius verba sumuntur, ritum essentialem Ordinis reponit in sacra unctione. « *Ex unctione*, ait, *sortitur persona potestatem consecrandi substantias consecrandas* ».[1]

348. - Magister *Bandinus* in eumdem errorem lapsus videtur: « *Istis* (presbyteris) *cum ordinantur*, dicit, *episcopus manus « inungit, quo gratiam consecrationis accipiunt* ».[2]

349. - Idem error occurrit apud **Stephanum de Balgiaco** supra iam allegatum. Vim Sacramenti in ordinatione episcopi ipse quoque sacrae unctioni tribuit. « *Unctio eius*, ait, *fit in « capite, quia ... In unctione visibili, quae est sacramentum spi- « ritualis unctionis, datur potestas ligandi atque solvendi* ».[3]

350. - Patet ex hisce quam incertae atque confusae illis temporibus iam factae sint notiones circa essentiam sacramenti Ordinis. Cuius rei praeclarum etiam occurrit exemplum apud **Gulielmum Durandum**, episcopum Mimatensem ad finem saeculi XIII. Hic in aestimato opere « *Rationale div. offic.* », quod ex variis multorum compilavit scriptis, tractans de *diacono*, expresse dicit, eum secundum antiquos canones ordinari solius episcopi manus impositione.[4] Nihilominus paulo post asserit: « *Ad haec diacono cum ordinatur traditur sub certis verbis « stola et codex Evangelii, quae res et verba sunt huius Sacra- « menti substantia; caetera sunt de solemnitate* ».[5]

351. - Similiter *de sacerdote* agens dicit, eum manus impositione presbyterii ordinari « *secundum canonicam traditionem* ». Consequenter rectissime subjungit: « *Accipiunt quoque de manu « pontificis calicem cum vino et patenam cum hostia, quatenus « his instrumentis potestatem se* ACCEPISSE *cognoscant placabiles « hostias et corpus et sanguinem Christi offerendi* ».[6] Et tamen

[1] *Sermo 97 (de div. 10).* - P. L. 171. 789.
[2] *Lib. 4, dist. 23.* - P. L. 192, 1104.
[3] *De Sacr. Alt. cap. 9.* - P. L. 172. 1281.
[4] *Lib. 2, cap. 9, num. 14.*
[5] *Ibid. num. 19.*
[6] *Lib. 2, cap. 10, num. 10 et 11.*

paulo post (fortasse, ut suspicatur cl. Martene, transcribens ex alio auctore) subiungit: « *Sane ei qui in presbyterum ordinatur,* « *traduntur sub certis verbis stola et casula, calix cum patena,* « *et etiam inungitur, quae res et verba sunt de huiusmodi* « *Sacramenti substantia. Caeterà vero praecedentia et sequentia* « *de solemnitate sunt* ».[1]

352. - Pariter *de episcopo* sermonem instituens, primum refert antiquum decretum de ordinatione per manus impositionem cum libro Evangeliorum.[2] Quo non obstante deinde dicit de capitis et manuum unctione, de traditione baculi et annuli cum propriis verbis necnon de porrectione Evangelii « *sunt eius* « *substantia Sacramenti. Caetera solemnitatis sunt* ».[3]

353. - En confusionem notionum circa ritum sacramenti Ordinis, ad quam sensim sine sensu ventum est. Hinc non tam difficile est explicatu, immo naturale videtur, quod Scholastici essentialem ritum s. Ordinationis in traditione instrumentorum reposuerint. Ad hoc viam sternebat: hinc productum ac longum silentium scriptorum eccles. de ritu ordinationis, eorum inaccuratus dicendi modus, diuturnus neglectus studii ac scientiarum, oblivio veterum librorum ritualium, abruptio relationum cum ecclesia Graeca et ignorantia rituum Orientalium; illinc vero exorta nova caeremonia, quae eloquenti sua significantia animos percellebat, suaque forma tamquam ritus collativus potestatis sese offerebat atque obtrudebat. - Quid mirum quod reflorescentibus studiis mediae aetatis, Scholastici, qui non tam historicis indagationibus quam speculativis rationibus eminebant,[4] sub imperio incantantis adagii: *Sacramenta conficiuntur rebus tamquam materia et verbis tamquam forma,* nulla in hac materia perturbante haereticorum negatione, quasi per incantum traditionem instrumentorum cum formulis *Accipe potestatem* materiam et formam sacramenti Ordinis proclamarint?

[1] *Ibid. n. 14.*

[2] *Lib. 2, cap. 11, num. 7.*

[3] *Ibid. num. 11.*

[4] Veteres scholastici « *cum illos usus* (veteris ecclesiae Occident. et Orient.) *nescirent,* ait Cabassutius, *nec satis versati essent in canonibus priscae disciplinae... omnia*

2. - De introductione ultimae impositionis manus cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata », etc.

354. - Haec caeremonia in codicibus, quos recensitos inveni apud auctores, primum occurrit in Pontificali *Rhemensi,* quod est saeculi XII, in quo tamen posteriori tantum manu in margine adiecta est, et statim excipit caeremoniam traditionis instrumentorum (vid. n. 311). Eodem loco eam usurpant Pontificalia *Barense,* saeculi XIII (supra n. 315), *Arelatense,* saeculi XIV, *Silvanectense,* saeculi XV, et *Rothomagense,* saeculi XVI.[1]

355. - Pontificale collegii de *Fuxo* apud Tolosates, quod est saeculi XIII, ipsam quidem caeremoniam impositionis manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum* etc. non praescribit; dicit tamen in consuetudine esse quarumdam ecclesiarum, *non vero Romanae,* ut in prima impositione manuum, quae fit in silentio, verba *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis* etc. pronuntientur a sacerdotibus assistentibus (vid. n. 314).

356. - In loco, quo eam nunc habet Pontificale Romanum, invenitur in Pontificali *Senonensi,* saeculi XIII; *Rothomagensi, Mettensi* et *Noviomensi,* saeculi XIV; *Andegavensi* et *Parisiensi,* saeculi XV, et in Pontificali ms. bibl. Vaticanae, quae supra n. 313 et 316 recensita sunt, vel apud Martene inveniuntur.[2]

357. - Negari sane non potest serius omnino invectam esse in ordinatione sacerdotali caeremoniam impositionis manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris etc.* « *Antiqui ordinationum sacrarum ritus,* ita iure ac merito ani- « madvertit cl. Martene, ... *nullam prorsus illius mentionem* « *fecerunt, nullam Pontificale Egberti, Anglicanum monasterii* « *Gemmeticensis, antiqua sacramentaria, Regium, Remense,*

« *reduxere ad sui temporis rituales, quos existimarunt divina et immutabili ab usque* « *nascentis Ecclesiae cunabulis deducta institutione, atque usu inconcusso roboratos* ». *Notitia eccles. saec. IV, Diss. et Append. ad Conc. Carthag. IV, num. 1.*

[1] Apud Martene *de antiq. Eccl. rit. lib. 1, cap. 8, art. 9, num. 12.*

[2] *L. c.*

« *Noviomense, Gellonense annorum 900, Caturcense, Turonense,*
« *Noviomense Radbodi Pontificale annorum 800, Suessio-*
« *nense 700, Lugdunense Halinardi, Salisburgense, Bisunti-*
« *num ad usum ecclesiae Turonensis accomodatum, Noviomense*
« *tertium annorum 600, Remense S. Remigii duplex, Came-*
« *racense, Apamiense, Constantinopolitanum annorum 500,*
« *Moguntinum duplex, Romanum duplex et Aquense anno-*
« *rum 400. Iamvero quis credat tot rituales libros tot insignium*
« *ecclesiarum, singulos ordinationum ritus adeo religiose et in*
« *quibusdam adeo diffuse describentes, in re tam essentiali*
« (sententia scilicet aliquorum scholasticorum) *defecisse? Non*
« *dissimulabo tamen eam reperiri in Pontificali Arelatensi*
« *annorum 400, Silvanectensi, paulo ante 300 annos scripto,*
« *et in Rothomagensi, cuius caracter vix ducentos superat*
« *annos. Verum non post communionem, sed statim post tra-*
« *ditum calicem, et forte melius. Attamen Sennonense anno-*
« *rum 500, Mettense et Noviomense annorum 400, Andega-*
« *vense et Parisiense annorum 300 eam exhibent eo quo hodie*
« *usurpatur modo. Verum quid pauci codices, iique omniuo*
« *recentes, adversus venerandae antiquitatis libros et numero*
« *et caractere longe praeferendos? Quibus si addas antiquos*
« *scriptores omnes, eos praesertim qui ecclesiasticos ritus refe-*
« *rendos enucleandosque in se susceperunt, Isidorum, Amala-*
« *rium, Rabanum, Micrologum, Ivonem Carnotensem, Hugo-*
« *nem, Victorinum, aliosque non paucos, apud quos altum*
« *ubique de hac manuum impositione silentium: non video*
« *quid reponere queant doctores illi scholastici, aut quibus*
« *rationum momentis suam sententiam tueri* ».[1]

358. - Ad scriptores ecclesiasticos quod attinet, nullus ex supra relatis huius caeremoniae mentionem facit, nisi **Honorius Augustodunensis,** qui ad eam aperte alludit. Vide supra num. 340. Eam tamen iam saeculo XI hic illic in usu fuisse patet ex vita *S. Lietberti,* Cameracensis episcopi, scripta a **Rodulpho** abbate S. Trudonis. Hic enim de presbyterali ordinatione sancti epi-

[1] *L. c.* Cfr. Hugo Menardus, *in libr. Sacram. Greg. nota 757,* apud Migne P. L. 78. 496.

scopi (quae post 1051 locum habuit) dicens: « *cumque*, inquit, « *ad manus impositionem pontificalis inter ordinandum dice-* « *retur novo presbytero:* **Accipe Spiritum Sanctum, quorum** « **remiseris peccata remittuntur eis,** *infremuit, habitumque* « *mentis vultus significatione monstravit* ».[1]

359. - Perpensis iis, quae libri rituales edicunt de hac caeremonia, necnon quae in auctoribus ecclesiasticis inveniuntur, nobis videtur cum magna probabilitate dici posse, caeremoniam, illam, licet hic illicve fortasse iam antea inveniretur, saeculo XIII proprie propagari coeptam esse atque in ritu ordinationis assumptam fuisse.

3. - De traditione libri Evangelii in ordinatione diaconi.

360. - Huius caeremoniae prima vestigia inveniuntur in aliquibus Pontificalibus Anglicanis. Saeculo VIII occurrit in codice Anglicano Ecclesiae *Rothomagensis* (supra n. 301), sed *praecedit* ipsam impositionem manus et fit cum hac formula: « *Accipe istud volumen Evangelii et lege et intellige et aliis trade* « *et tu opere adimple* ». Eodem loco et cum eadem formula eam usurpant Pontificale Anglicanum monasterii *Gemmeticensis,* quod est saeculi IX, Pontificale S. Dunstani *Cantuariensis* et Egberti *Eboracensis,* quae sunt saeculi X, et duo Pontificalia monasterii *Beccensis,* quae sunt saeculi XIII. Cfr. supra n. 300 et 301.

361. - Ipsa autem haec formula clare monstrat caeremoniam hanc minime intentam fuisse ut principalem vel essentialem ritum sacrae ordinationis, quum exhortationem potius contineat quam traditionem potestatis indicet. Quodsi *nunc* traditio libri Evangeliorum fieret ante impositionem manus, vel cum praedicta formula, ex vigenti praxi, ex tanta opinionum diversitate orta, decerneretur fortasse, integram ordinationem saltem sub conditione esse iterandam.

[1] *Cap. 17.* - P. L. 146. 1458.

362. - Putat cl. Martene[1] caeremoniam illam ex Anglia in Gallias transiisse. Saeculo x invenitur post impositionem manus et cum formula, quam habet hodiernum Pontificale Romanum: *Accipite potestatem legendi in Ecclesia Dei Evangelium tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini,* tum in Pontificali *Noviomensi,* tum in codice Ordinis Romani *Vallicellano* (supra n. 305 et 307). Sed eodem saeculo illa carent adhuc Pontificale *Caturcense* et *Bellovacense* (supra n. 299 et 302), necnon codex, quem n. 298 recensuimus. Item alterum Pontificale *Bellovacense,* ad finem saeculi xi scriptum, cui solum posteriori manu eadem formula adiecta est in margine (supra n. 303). - Saeculo xii eam habent Pontificalia *Salisburgense, Rhemense, Moguntinum* et *Suessionense* (supra n. 307, 308 et 310); sed ea carent eodem saeculo Pontificalia *Bisuntinum, Turonense* et cod. *S. Victoris* Paris. (supra n. 307). - Saeculo xiii invenitur in Pontificalibus *Cameracensi, Apamiensi, Barensi* etc. (supra 308 et 315). - Saeculo xiv in Pontificalibus *Noviomensi, Romano* bibl. Colbert., item in Pontificali ms. *bibliothecae Vaticanae,* necnon in « *Ordinario S. R. E. auctore Iac. Caietano* († 1352) *cap. 103* « *de ordinatione diaconi cardinalis* » (ab ipso Pontifice facienda), quod recenset cl. Mabillon.[2]

363. - Ex quibus clarescit ritum, de quo loquimur, antea plane ignotum in Ecclesia, paulatim, nullius Concilii canone, nullius Pontificis decreto introductum esse et ab una in aliam ecclesiam diffusum fuisse.

Neque primitus alium sensum habuit quam maioris solemnitatis et explicationis sacrae ordinationis, ut iam paulo ante notatum est. Quod etiam confirmatur aliis caeremoniis eiusdem ordinationis. Ita e. g. in Pontificali *Bisuntino* saeculi xii, quod caret traditione Evangelii (et idem omnino occurrit in Pont. *Suessionensi* eiusdem saeculi quod habet Evangelii porrectionem), praescribitur ut episcopus ordinando diacono stolam imponens dicat: « *Per hoc signum tibi diaconatus officium humi-*

[1] *De antiq. Eccl. ritib. lib. 1, cap. 8, art. 9, num. 7.*

[2] *Museum Ital. tom. 2, Ordo Rom. XIV.*

« *liter imponimus, ut firmamentum mensae divinae tamquam* « *sustentaculum columnae esse possis, et praeco regis coelestis* « *irreprehensibiliter existere merearis* ». Nullus tamen dicet, intentionem et sensum horum verborum fuisse, ut iis praecise diaconatus officium conferretur, atque proinde ut forma essent Sacramenti.

364. - Idem sensus ac significatio caeremoniae prodit ex multis scriptoribus illius aetatis. Hic illic tamen observatur quod supra de traditione instrumentorum in ordinatione sacerdotali notavimus, scilicet notiones rectas perverti. **Ivo Carnotensis** describens in suo sermone II *de excell. sacr. Ord.*, diaconi ordinationem, loquitur de impositione manus episcopi, quam recipit; de impositione orarii, etc. Dicit eis quoque tradi Evangeliorum librum « *per quod intelligant se debere esse praecones* « *Evangelii* ».[1]

365. - **Stephanus de Balgiaco** iam considerat traditionem libri Evangeliorum in ordinatione diaconi ut ritum collativum sacrae potestatis. « *Cum autem ordinatur,* inquit, *episcopus* « *solus manus imponit, quia non ad sacerdotium sed ad mini-* « *sterium ordinatur. Ponit etiam stolam super sinistrum hume-* « *rum: in quo monentur iugum Domini aequanimiter esse* « *sustinendum, et ut pertinentia ad sinistram corde et ore* « *despiciant. Datur eis textus Evangelii, in quo accipiunt pote-* « *statem legendi Evangelium et praedicandi* ».[2]

366. - **Honorius presb. Augustod.** in *Sacramentario cap. 24 de ordinandis* breviter dicit quomodo conferuntur ordines, assignato singulis inferioribus proprio instrumento tradendo. Ubi pervenit ad diaconatum, de instrumento porrigendo non amplius loquitur, sed dicit: « *Huic manus impositio fit per quam ope-* « *ratio Spiritus Sancti intelligitur: in aliquo sapientia, in aliquo* « *fides, in aliquo castitas. Accipit stolam in sinistro humero, id* « *est onus Domini leve in activa vita: legit Evangelium, quia* « *quamdiu Christus illud praedicavit, minister nobis factus est* ».[3]

[1] Migne P. L. 162. 518.

[2] *Tract. de Sacram. Alt. cap. 8.* - Migne P. L. 172. 1280.

[3] Apud Migne P. L. 172. 760.

367. - **Hugo a S. Victore** tractans de diaconis dicit: « *Hi « cum ordinantur solus episcopus manus eis imponit, quia ad « ministerium non ad sacerdotium applicantur; ponitur eis « orarium, id est stola super sinistrum humerum ab episcopo, « ut hoc agnoscant se accepisse iugum Domini, quo omnia ad « sinistram, id est, praesentem vitam pertinentia adversa for- « titer tolerent, et divino timori subiiciant. Accipiunt et textum « Evangeliorum de manu episcopi, per quem intelligant se esse « praecones Evangelii Christi* ».[1]

368. - Concorditer omnino loquitur **Petrus Lombardus** de diaconis: « *Hi,* inquit, *cum ordinantur solus episcopus eis « manum imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis « orarium, id est, stolam super laevum humerum, ut per hoc « intelligant se accepisse iugum Domini suave, quo ad sinistram « pertinentia divino timori subiiciant. Accipiunt et textum Evan- « gelii, ut intelligant se esse praecones Evangelii Christi* ».[2]

369. - Idem habet Compendiator Magistri, **Bandinus,** qui similiter loquens de diaconis: « *His episcopus manum cum « ordinantur imponit et stolam laevo latere, ut expediti sint « ad ministrandum, et spiritualiter, ut quidquid ad sinistram « pertinet, divino iugo se subiecturos intelligant; dat etiam eis « Evangelii textum ut illos Christi praecones denuntiet* ».[3]

370. - **Auctor anonymus** quoque saeculi XII, de quo supra num. 343, de diaconis dicit: « *Hi cum ordinantur solus episcopus « eis manus imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit « eis Orarium, hoc est, stolam super laevum humerum, ut per « hoc intelligant se accepisse iugum Domini suave atque ad « sinistra pertinentia divino timori subjiciant. Accipiunt et « textum Evangelii, ut intelligant se esse praecones Evangelii « Christi* ».[4]

371. - Non aliter **Petrus Cantor** ad finem saeculi XII: « *Prima « autem manus impositio,* ait, *debetur diaconibus ordinandis,*

[1] *Cap. 11, lib. 2, pars. 3.* - P. L. 176. 427.

[2] *Sent. lib. 4, dist. 24, num. 8.* - P. L. 192. 903.

[3] *Lib. 4, dist. 23.* - P. L. 192. 1104.

[4] *SS. Eccl. Rit. num. 105.*

« *De novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum* « *ordinem ... Quod autem officium sit diaconi praedicare ex* « *autoritate non elicies, nisi forsan exemplo beati Vincentii, ...* « *et ex ordinatione etiam. Committitur enim ei Evangelium,* « *quasi diceretur ei: Tu autem vade et annuntia regnum* « *Dei* ».[1]

372. - Versus medium sequentis saeculi XIII *Gulielmus Parisiensis* omni ratione sic scribit: « *Cum accipiunt textum Evan-* « *gelii de manu episcopi, non dicit ei: Accipe potestatem docendi* « *et praedicandi Evangelium, sed accipe potestatem legendi* « *Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis* « *in nomine Domini. Ex quo magis insinuatur eos tunc reci-* « *pere orandi officium quam praedicandi vel docendi; ... absur-* « *dum enim est intellectu et dictu ut docens aut praedicans Evan-* « *gelium docere intelligatur aut praedicare pro vivis ac pro* « *mortuis* ».[2] Ex quibus patet caeremoniae traditionis Evangelii in ordinatione diaconi ab initio non solum non subfuisse sed omnino abfuisse notionem *materiae* et *formae* ordinationis.

373. Multum etiam duravit antequam in omnibus ecclesiis introducta fuerit haec caeremonia. Cuius rei praeclarum exemplum et testimonium occurrit apud *Durandum a S. Porciano O. P.* episcopum († 1334). Loquens de diaconatu: « *Illud*, inquit, « *in quo imprimitur character debet observari, et probabile quod* « *observetur in omni ecclesia; sed traditio libri in ordinatione* « *diaconi non observatur in omni ecclesia, nec antiquitus for-* « *sitan observabatur in aliqua ecclesia; unde secundum Ordi-* « *narium antiquissimum ecclesiae Annicensis, cui praefuimus,* « *liber Evangeliorum non tradebatur diacono in ordinatione* « *sua; sed nos volentes nos conformare caeteris ecclesiis, posui-* « *mus de manu nostra in margine dicti Ordinarii, quod liber* « *Evangeliorum tradatur diacono cum consueta forma verbo-* « *rum; quare non videtur quod in traditione libri imprimatur* « *character diaconatus* ».[3] Haec scribit Durandus, qui tamen

[1] *Verbum abbrev. cap. 60.* - P. L. 205. 184.

[2] *De sacr. Ord. cap. 3.*

[3] *In 4 dist. 24, qu. 3.*

ipse, ut supra n. 14 notatum est, materiam et formam *presbyteratus* (deceptus probabiliter libris pontificalibus, quos prae manu habebat) in sola traditione instrumentorum reponit.

374. - Multi alii inveniuntur auctores, qui, eamdem probabiliter ob causam, in traditione instrumentorum sive totalem sive saltem partialem essentiam sacerdotii constituunt, et nihilominus diaconatum sola manus impositione conferri asserunt. Quod sane denuo monstrat, quanta fuerit confusio idearum in hac materia, et quam inconsideratis rationibus auctores saepe in hac quaestione ducebantur.

4. - De impositione manus cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum ad robur », etc. in ordinatione diaconi.

375. - Huius caeremoniae primum vestigium in codicibus librorum ritualium invenitur in Pontificali ecclesiae *Rhemensis*, quod est saeculi XII. Notandum tamen quod codex primitus caeremoniam non habebat, sed quod recentiori scriptura in margine adiecta fuit, ut supra n. 310 notatum est. Caeremonia insuper ibidem absolvitur solis verbis: « *Accipe Spiritum Sanctum* ».

376. - Saeculo XIV idem ritus sub eadem brevissima forma trium verborum « *Accipe Spiritum Sanctum* » occurrit in Pontificali *Antissiodorensi* saeculi XIV.[1] Eodem saeculo XIV eadem caeremonia invenitur in Pontificali *Monguntino* (vide supra num. 312), ubi statim post instructionem diaconalem Pontifex surgit atque transiens per circuitum, capiti cujuslibet ordinandi ambas imponit manus dicens: « *Spiritus Sanctus superveniat « in te et virtus Altissimi sine peccato custodiat te in nomine « Domini Amen* ».

377. - Patet hanc quoque caeremoniam in ritu sacrae Ordinationis diaconi recentis omnino esse originis. « *Verba illa,* « ait Martene, *Pontificalis Romani, ab episcopo dicenda cum*

[1] Apud Catalanum *Pontif. Rom. tit. II, § 8. num. 7.*

« *manum ordinandis imponit:* Accipe Spiritum Sanctum ad « robur, ad resistendum diabolo et tentationibus eius, in nomine « Domini, *in quibus ordinationis diaconorum formam consti-* « *tuunt recentiores scholastici, recentioris sunt institutionis,* « *quae quadringentos vix superant annos. Et certe desiderantur* « *in duplici Pontificali S. Remigii Rhemensis, in Senonensi, in* « *Cameracensi, in Apamiensi et Constantinopolitano annorum* « *circiter 500, in Romano duplici, in Aquensi, in Arelatensi,* « *in Noviomensi annorum 400, in Silvanectensi annorum 300,* « *aut parum amplius, et si bene memini in Rothomagensi anno-* « *rum 200, aut parum plus. Multo minus in antiquioribus* « *libris istis codicibus* ».[1] Putat proinde merito clar. Martene,[2] cui adstipulatur Catalanus,[3] caeremoniam illam paulatim sparsam, saeculo XIV universaliter in ecclesiis receptam fuisse.

378. - Quod ad scriptores ecclesiasticos attinet, nihil prorsus apud ipsos de hac caeremonia invenitur saeculis X, XI, XII. Saeculo XIII eius mentionem facit *Gilbertus (Guibertus vel Gisbertus) Torniacensis,* Theologus Parisiensis. Loquens de diaconis, « *ante impositionem stolae,* inquit, *et collationem libri* « *dixerat eis Episcopus: Accipe Spiritum Sanctum; quia istis* « *maxime competit vita spiritualis* ».[4]

5. — De formula « Accipe Spiritum Sanctum » in ordinatione Episcopi.

379. - Verba *Accipe Spiritum Sanctum,* in quibus non pauci scriptores nunc formam essentialem ordinationis episcopalis sitam esse putant, ante saeculum XIV in nullo libro rituali inveniebatur. Illo saeculo occurrit in Pontificali ms., quod in biblioteca Vaticana conservatur (vid. supra n. 316) et in aliquibus aliis, de quibus loquitur cl. Martene. Verba haec, dicit,

[1] *Lib. 1, cap. 8, art. 9, num. 2.*

[2] *L. c.*

[3] *L. c.*

[4] *Tract. de officio Episcopi et Ecclesiae caeremoniis cap. 33. - Bibl. max. vet. PP.* ed. Lugd. *tom. 25, pag. 412.*

« *toti antiquitati ignota fuerunt, adeo ut vix in ullo Pontifi-*
« *cali annos 400 attigente* (h. e. ad saec. XIV pertinente) *repe-*
« *riantur. Nam ex omnibus, quae percurrimus, tria tantum illa*
« *habent, Arelatense, Andegavense et Gulielmi Durandi. Sed*
« *neque antiquiores scholastici, qui absolutas Sacramentorum*
« *formas undecumque explicari studuerunt, ullam eorum ver-*
« *borum mentionem faciunt* ».[1]

380. - Ex quibus iam intelligitur frustra apud antiquos scriptores huius ritus mentionem quaeri. Auctores quoque saeculorum X, XI, XII, quos examinare potuimus, nullibi de hac caeremonia in episcopi ordinatione loquuntur.

Atque haec sufficiant pro inquisitione veritatis.

PARS TERTIA.

Difficultates et conclusiones.

381. - Decursu tractationis difficultatibus minoris momenti responsum iam est. Remanet ut satisfiat difficultati, ubique ac semper in hac quaestione nascenti ac renascenti ex celebri decreto Eugenii IV pro Armenis. Haec revera est unica seria difficultas in hac celebri controversia. Quo penitius ei studuimus atque omnia examinavimus, eo magis semper nobis crevit persuasio, quaestionem hanc nunquam tantas sumpsisse proportiones, nec tamdiu perstitisse, sed iamdudum solutam fuisse, si Decretum Eugenii non exstitisset. Argumenta omnia, quae contra antiquam, perpetuam ac unice veram sententiam afferuntur, vel in Decreto ipso fundantur vel propter Decretum excogitata sunt. Ante omnia itaque de Instructione Eugenii IV ad Armenos specialis instituendus est sermo. - Quum autem huic difficultati perpetuo coniuncta sit quaestio de potestate Ecclesiae in Sacramenta, ne materiae tractatio imperfecta relinquatur, necesse est ut de hac quoque speciatim dicatur. - Quibus peractis legitimas ex omnibus pertractatis illationes

[1] *De ant. Eccl. rit. lib. 1, cap. 8, art. 9, num. 14.*

colligere fas erit. Hinc ultima pars aget de Decreto Eugenii IV pro Armenis - de potestate Ecclesiae in Sacramenta - de conclusionibus ex tractatis inferendis.

1. - De Decreto Eugenii IV.

382. - Postquam in Concilio Florentino unio ecclesiae Graecae cum Romana stabilita et solemniter celebrata esset, decretum quoque unionis *Laetentur coeli* die 14 Iulii 1439 promulgatum fuisset, accesserunt Oratores Armenorum, cum ecclesia Romana « *quaerentes et ipsi,* ut loquuntur Acta, *unionem fideique recti-* « *tudinem* ».[1] Tum post multas inquisitiones et disputationes de fide eorum « *tam circa divinae unitatem essentiae et divinarum* « *personarum trinitatem, quam D. N. Iesu Christi humanitatem* « *et septem ecclesiae Sacramenta et alia ad fidem orthodoxam* « *et ritus universalis Ecclesiae pertinentia... expedire iudica-* « *vimus,* ait Eugenius in decreto unionis *Exultate Deo,* 22 No- « vembris 1439, *ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos* « *Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant* « *cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis et perpetua sine* « *ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio* « *orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis Romana* « *profitetur ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante* « *Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentien-* « *tibus traderemus* ».[2] - Compendium porro orthodoxae fidei, de quo loquitur Eugenius, octo capita comprehendit: 1° symbolum Nicaenum; 2° definitionem IV Concilii oecum. Chalcedonensis de duabus naturis in Christo; 3° definitionem VI Concilii oecum., Constant. III, de duabus voluntatibus et operationibus in Christo; 4° praeceptum ut suscipiant S. Leonem Magn., Conc. Chalcedon. aliasque synodos oecumenicas; 5° « *ec-* « *clesiasticorum Sacramentorum veritatem pro ipsorum Arme-* « *norum tam praesentium quam futurorum faciliori doctrina* « *sub hac brevissima redigimus formula* »; 6° Symbolum Atha-

[1] Apud Labbe Colet *Conc. tom. 18. 538.*

[2] *L. c.*

nasianum; 7° decretum unionis Graecorum *Laetentur coeli;* 8° decretum de festis. - Quibus datis concludit Eugenius: « *Hoc « saluberrimum synodale Decretum cum omnibus suis capitulis, « declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, praeceptis et « statutis omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon « quidquid tenet et docet sancta Sedes Apostolica et Romana « ecclesia cum omni devotione et obedientia acceptant, suscipiunt « et amplectuntur* ».[1]

383. - Iamvero sub laudato cap. 5 Instructionis haec habentur: « *Novae Legis septem sunt Sacramenta: videlicet baptismus* etc. « *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus « tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri « conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit « Ecclesia: quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum... « Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum* **Bap- « tisma,** *quod vitae spiritualis ianua est... Materia huius Sacra- « menti est aqua vera et naturalis... Forma autem est: Ego te « baptizo* etc... *Minister huius Sacramenti est etc... Secundum « Sacramentum est* **Confirmatio,** *cuius materia est chrisma... « Forma autem est: Signo te* etc... *Ordinarius minister est « episcopus etc... Tertium est* **Eucharistiae** *Sacramentum, cuius « materia est panis triticeus et vinum de vite... Forma huius « Sacramenti sunt verba Salvatoris etc... Quartum Sacramen- « tum est* **Poenitentia** *cuius quasi materia sunt actus poeni- « tentis... Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis... « Quintum Sacramentum est* **Extrema Unctio,** *cuius materia est « oleum olivae per episcopum benedictum... Forma huius Sa- « cramenti est haec: Per istam Sanctam unctionem etc. Sextum « Sacramentum est* **Ordinis**, *cuius materia est illud, per cuius « traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per « calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, Diaco- « natus vero per libri Evangeliorum dationem... Forma sacer- « dotii talis est: Accipe potestatem offerendi* etc. *et sic de aliorum « ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

[1] *Ibid.*

« *Ordinarius minister huius Sacramenti est episcopus. Effectus* « *augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister* ».[1]

384. - En celebre Decretum seu Instructionem Papae Eugenii IV pro Armenis.

Ut autem totum sensum omnemque vim huius Decreti, quod tantas partes habet in quaestione, quam tractamus, evisceremus, opportunum duximus, sequentia quaesita nobis solvenda proponere: Quid docet Papa Eugenius de sacramento Ordinis? - Quali auctoritate docet? - Licetne ab eius doctrina recedere? - Adsuntne rationes ut ab ea recedamus?

Quaestio Prima: *Quid docet Papa Eugenius de essentia sacramenti Ordinis?*

385. - Qui absque praeconcepta opinione Decretum seu Instructionem pro Armenis legit, non potest non fateri, Pontificem docere, materiam sacramenti Ordinis esse instrumentorum traditionem, formam vero verba *Accipe potestatem etc.*, ac proinde secundum Papae Eugenii mentem atque verba veram ac integram essentiam sacrae Ordinationis in sola traditione instrumentorum et in coniunctis verbis imperativis sitam esse. Omnino necesse est agnoscere, vim fieri verbis si asseratur, Eugenium aut non loqui de essentialibus Sacramenti aut ea non omnia indicare.

386. - Etenim 1° Aequaliter loquitur de omnibus Sacramentis, eorum indicans materiam, formam, ministrum et effectus. Docet Baptismi materiam esse aquam, formam *ego te baptizo etc.*; Confirmationis materiam esse chrisma, formam *signo te etc.* - et sic de reliquis Sacramentis, et ubi ventum est ad VI Sacramentum in nullo mutata ratione dicendi pergit: Ordinis materia est traditio instrumentorum, forma *accipe potestatem etc.* Quod itaque docet de Baptismo reliquisque Sacramentis, hoc idem dicendus est docere de sacramento Ordinis, nisi primas velimus destruere hermeneuticae regulas. Iamvero docet de aliis Sacramentis quae sit eorum vera ac integra materia et forma. Ergo hoc idem docet de sacramento Ordinis.

[1] *Ibid. col. 546.*

387. - 2° Papa Eugenius expresse declarat tria ad omne Sacramentum requiri: materiam, formam, ministrum, intendentem facere quod facit Ecclesia; et Sacramentum non confici, si aliquid horum deest. Conficitur ergo Sacramentum si horum nihil deest. Dicit deinde materiam sacramenti Ordinis esse instrumentorum porrectionem, formam verba *Accipe potestatem etc.*, ministrum Episcopum, atque nullum alium requisitum indicat aut indigitat.Ergo si tria ab ipso enumerata adsunt, secundum ipsius doctrinam conficitur Sacramentum; si ex his aliquid deest, non conficitur. Ergo necessario fatendum est, secundum doctrinam Papae Eugenii IV in sola traditione instrumentorum essentiam Sacramenti Ordinis esse reponendam.

388. - 3° Si revera Papa Eugenius putasset ad sacramentum Ordinis requiri aliquid praeter ea, quae ab ipso indicantur, necessario hoc dicere debuisset ac certo certius dixisset. Iamvero nullo verbulo hoc indicat et ne suspicari quidem sinit. Eadem omnino dicendi ratione pergit loqui de sacramento Ordinis, qua de reliquis Sacramentis locutus erat, immo expresse ac signanter dicit, Ordinem tradi instrumentorum porrectione: « *Materia est illud, per cuius traditionem* **confertur Ordo,** *sicut* « *presbyteratus* **traditur** *per calicis cum vino et patenae cum* « *pane porrectionem* ». Unde necessario dicendum est, aut eum voluisse alios in errorem inducere - quod asseri nulla ratione potest - aut eum revera essentiam sacramenti Ordinis in sola traditione instrumentorum reposuisse.

389. - Equidem ab adversariis quaerere vellem, quid tandem Papa Eugenius dicere debuisset, quibusque verbis uti, si revera secundum eorum opinionem dicere atque docere intendisset, materiam et formam sacramenti Ordinis in instrumentorum traditione et formula *Accipe potestatem etc.* sitam esse. Dicent fortasse, eum tum dicere debuisse: sicut alia Sacramenta applicatione propriae materiae et formae conficiuntur, ita quoque sacramentum Ordinis perfici propria materia cum forma coniuncta, hancque esse traditionem instrumentorum cum verbis *Accipe potestatem,* etc. Sed hoc praecise Papa Eugenius dicit.

390. - 4° Papa Eugenius in parte 5ª Decreti quasi ad verbum sequitur opusculum divi Thomae « *De articulis fidei et Sacramentis Ecclesiae* ». Dicens de materia et forma sacramenti Ordinis prorsus eisdem verbis utitur. Ergo etiam eodem sensu loquitur. Supponi enim nequaquam potest, Papam alios decipere voluisse, quod tamen vere fecisset, si verba divi Doctoris assumens alio prorsus ac diverso sensu, quem suspicari nullus poterat, locutus esset. Iamvero nullus unquam dixit aut dicet, S. Thomam in opusculo de Sacramentis non loqui de vera et essentiali materia et forma sacramenti Ordinis, easque ibi non reponere in traditione instrumentorum cum formulis *Accipe potestatem etc.* Ergo eodem sensu locutus est Eugenius.

391. - Confirmatur argumentum eo quod quinta Decreti pars, licet ut diximus, sit *quasi* ad verbum exscripta ex noto opusculo divi Thomae, nequaquam tamen est ejusdem inconscia atque servilis repetitio. Supprimuntur enim multa, adduntur plura, mutantur non pauca, prout Armenorum causa id exigebat. Sic e. g. de sacramento Confirmationis S. Thomas dicit ministrum eius esse *solum* episcopum et errorem esse Graecorum Sacramentum hoc a simplici sacerdote conferri posse; Eugenius vero docet ministrum *ordinarium* esse episcopum et simplicem sacerdotem *ex delegatione S. Sedis* hoc Sacramentum ministrare valere. Ex quibus sane argui potest, Papam Eugenium, si revera ita credidisset, certo certius dicturum fuisse, materiam et formam sacramenti Ordinis non eodem sensu sumi ac in reliquis Sacramentis, vel ex toto vel saltem ex parte in manus impositione sitam esse.

392. - Inane autem est effugium aliquorum dicentium, Papam Eugenium in suo Decreto ab essentia sacrae Ordinationis non excludere manus impositionem, quum positive remittat ad Pontificale Romanum, in quo impositio manus habetur.

Inane dico effugium est. Etenim Pontifex non dicit praeter traditionem instrumentorum impositionem manus, quae habetur in Pontificali Romano, esse servandam (sicut certissime dixisset si hanc necessariam habuisset); neque indiscriminatim remittit ad Pontificale dicens, servanda esse quae in eo continentur; sed

Pontifex signanter et expresse remittit ad Pontificale pro *formis* singulorum ordinum, quas reponit in verbis *Accipe potestatem etc.* En verba eius: « *Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem « offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in no- « mine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et sic de aliorum ordinum « formis, prout in Pontificali Romano late continetur* ». Unde potius dicendum, Eugenium, eo ipso quod remittit ad Pontificale Romanum pro formulis traditionum instrumentorum, quas formas dicit Sacramenti, nulla alius rei facta mentione, ab essentia Ordinis exclusisse impositionem manus.

393. - Nec magis valet assertio multorum propugnatorum secundae, tertiae et quartae sententiae, Papam scilicet Eugenium in Instructione ad Armenos tantum de *parte* essentiae sacramenti Ordinis loqui, de *traditione instrumentorum* videlicet, eo quod altera pars essentialis *impositio manus* Armenis optime nota erat et in usu. Non ergo necesse erat, dicunt, ut Pontifex de hac loqueretur, ac merito sermonem restrinxit ad ea quae incognita erant Armenis.

394. - Nihil prorsus valet assertio. Etenim 1° Armenis etiam nota erat et perfecte nota materia et forma aliorum Sacramentorum; et nihilominus Eugenius omnium *integram* exponit doctrinam et singulorum *integram* tradit materiam et formam essentialem. Unde notitia, quam Armeni habebant, nequaquam potuit esse ratio cur Eugenius de parte tantum essentiae diceret. Immo ratio fortissima fuisset ut diceret de toto. Nam si revera Eugenius credidisset essentiam sacramenti Ordinis partim in manus impositione, partim in traditione instrumentorum sitam esse, Armenos autem unam tantum partem habere ac observare, urgentissima ac imperans ipsi fuisset ratio, ut prae caeteris sacramenti Ordinis integram doctrinam accurate exponeret.

395. - 2° Si Papa Eugenius revera persuasum habuisset, sacramentum Ordinis conferri non posse nisi manus impositione ac instrumentorum porrectione, Armenosque non uti in ordine conferendo nisi manuum impositione, prae suo pastorali officio debuisset ordines apud Armenos collatos condemnare ac reiicere atque praecipere ut denuo conferrentur debita materia atque

forma. Iamvero non solum horum nihil dicit, sed ordines Armenorum legitimos validosque habuit.

396. - 3° Repugnat omnino admittere, ut iam supra dictum est, Papam Eugenium in sua Instructione ad Armenos de parte tantum dicere essentiae Ordinis, altera parte aeque essentiali alta mente reposita atque summo silentio praetermissa. Sermonem autem prosequens eadem prorsus ratione ac de reliquis Sacramentis, quorum integram essentiam exponit, necessario auditores induxisset in errorem, accipiendi doctrinam eius de sacramento Ordinis eodem sensu ac doctrinam de reliquis Sacramentis. Quumque hoc omnino obvium esset, dicere tandem cogeremur, eum reapse scientem ac volentem alios in errorem duxisse; quod prorsus repugnat.

397. - 4° Demum fundamentum quoque huius assertionis a parte Armenorum plane deficit. Nam Armenis tempore Decreti Eugenii nequaquam ignota erat caeremonia traditionis instrumentorum. Uti ipsi in Concilio adunati Summo Pontifici Benedicto XII testantur, iam inde a saeculo XII introduxerant atque observabant hunc ritum in sacra Ordinatione. - Conferantur quae supra num. 242 seq. relata sunt.

398. - 5° Postremum speciatim contra auctores secundae ac quartae sententiae, qui hanc assertionem ponunt, iuvat observare, Armenos, aetate Pontificis Eugenii IV, plane ignorasse illam impositionem manus, (ultimam scilicet, quam comitantur verba *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata etc.*), in qua ipsi partem essentiae reponunt. Armeni, ut supra num. 240 seq. vidimus, hanc ultimam manus impositionem nonnisi serissime, longe post Decretum Eugenii IV in suum ritum introduxerunt. Unde si aliquid valeret assertio, - quum Armenis nota iam esset ac in usu traditio instrumentorum, ignota vero ultima manus impositio, - Papa Eugenius Armenis loqui debuisset non de instrumentorum porrectione, sed de ultima manuum impositione.

399. - Inconstans pariter videtur quod ad salvandum Eugenii Decretum excogitatum a non paucis proponitur, scilicet Pontificem non esse locutum de materia et forma *essentiali* sacrae

Ordinationis, quae in sola manus impositione reponenda est, sed de integrante et *accessoria,* quam optavit ab Armenis manuum impositioni superaddi, ut uniformitate rituum ecclesiae Latinae firmius adhaererent. Ita i. a. dixerunt Hugo Menardus, Morinus, Becanus, Jueninus, Pappianus, S. Alphonsus etc. placetque etiam Benedicto XIV.

400. - Cum omni reverentia erga tantos viros haec mihi nulla ratione sustineri posse videntur. Etenim 1° textui atque contextui Decreti contradicunt. Eugenius enim, ut ipse dicit, *docere* intendit, quae tria ad singula Sacramenta conficienda requirantur: omnium aliorum Sacramentorum *veram* ac necessariam seu *essentialem* materiam et formam tradit, nihil dicens de accessoriis: eadem dicendi forma iisdemque verbis pergit loqui de sacramento Ordinis, quin ne verbulo quidem aut phrasis conformatione insinuet se nunc non de *vera* atque *essentiali* sed de *accessoria* tantum materia et forma dicere. Unde sine veritatis offensione haec dici non posse videntur.

401. - 2° Uti modo diximus, Armeni inde a saeculo XII porrectionem instrumentorum in suum ritum introduxerant, et anno 1342 solemni libello Pontifici oblato exposuerant, quomodo in ordinatione diaconi apud ipsos liber Evangeliorum traditur et in ordinatione presbyteri calix et patena porrigitur. Confer quae supra num. 240 ex historia relata sunt. Unde ratio seu fundamentum huius speciosae explicationis prorsus corruit.

Constat itaque, Papam Eugenium in celebri sua Instructione ad Armenos docere *veram* essentiam sacramenti Ordinis in *sola* instrumentorum traditione una cum formula *Accipe potestatem etc.* sitam esse.

Quaestio secunda: *Quali auctoritate docet hoc Papa Eugenius?*

402. - Sunt qui dicant (ex defensoribus praesertim primae sententiae cfr. supra num. 12 seq.), Papam Eugenium cum Concilio Florentino *infallibili auctoritate* definivisse sacrae ordinationis essentiam in porrectione instrumentorum inveniri. Ita expresse Ruardus Tapper: *Secundum definitionem Concilii Flo-*

rentini;[1] Ios. Angles: « *definitum est expresse in Concilio Florentino* »;[2] aliique, quos vide supra num. 26.

Eodem sensu rem intelligere videntur Nugnus, Fagnanus, Gonet, aliique quos l. c. allegavimus.

403. - Rationes pro hac assertione haec afferri possunt.

1° Scopus Decreti (docere Armenos « *fidei rectitudinem* », quam petebant), solemnitas eius (« *sacro hoc approbante Florentino Concilio* »), clausulae quoque valentissimae indicant, non esse simplex ordinarii magisterii decretum doctrinale, sed Summi Pontificis ex cathedra loquentis institutionem fidei. Papa suprema sua auctoritate Armenos docet, quam doctrinam tenere debeant. Unde sequitur ipsum plena sua magisterii potestate usum esse.

404. - 2° Idem patet ex verbis ipsis ac modo loquendi Eugenii. Dicit se docere velle Armenos « *ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat etc.* » - dicit se complectere « *brevi compendio orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis Romana profitetur ecclesia* ». Iamvero inter haec praemissa septem sunt Sacramenta. Ergo doctrina, quam de eis tradit Eugenius, est doctrina orthodoxa, est doctrina quam profitetur Romana ecclesia. Ergo irrecusabiliter et sub poena haereseos tenendum est, essentiam sacramenti Ordinis in sola instrumentorum traditione ac in formula *Accipe potestatem etc.* sitam esse.

405. - Attamen nobis non videntur haec argumenta concludere. Ad primum argumentum respondetur: Ex scopo alicuius decreti vel actus solemnis Romani Pontificis, ex modo loquendi seu solemnitate, ex clausulis similibusque rebus cum probabilitate arguitur, sed cum plena certitudine non infertur, ipsum ex cathedra esse locutum. Usus potestatis extraordinariae magisterii seu infallibilitatis a sola pendet Pontificis voluntate. Unde incaute aliquando a nonnullis asseritur, Pontificem ex cathedra locutum esse, eo quod adsint ea, quae a Theologis indicantur

[1] *De sacr. Ord. art. 17, § de materia autem.*

[2] *Flores qu. in 4 de sacr. Ord. art. 1, dub. 4.*

signa usus auctoritatis infallibilis. Oblivisci non debet, Christum voluisse, ut Summus Pontifex ordinaria sua auctoritate regeret doceretque Ecclesiam; nequaquam vero ut in omnibus infallibili suo magisterio interveniret. Hoc ex Christi Domini intentione faciendum non est nisi necessitas postulet vel summa utilitas. Summus itaque Pontifex dicendus potius est raro immo rarissime extraordinaria sua magisterii auctoritate seu infallibilitate uti. Unde non sufficit quod Armeni petierint « *fidei rectitudinem* », quod decretum latum sit « *sacro approbante Florentino Concilio* », quod clausulas habeat apprime significantes. Aliunde enim certis augmentis probatur, Papam ex cathedra locutum non esse.

406. - Ad secundum argumentum idem dicendum est. 1° Verba « *ne ullam in futurum de fidei veritate apud Armenos haesi-* « *tatio esse valeat* » referri optime possunt ac referenda sunt ad definitiones plurium Conciliorum oecumenicorum, quas Eugenius in Decreto inseruit. Quod ad Sacramenta attinet ipse dicit eorum « *veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium* « *quam futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redi-* « *gimus formula* », quae verba optime componuntur cum ordinarii magisterii auctoritate.

2° Quod ad alterum loquendi modum attinet, nequaquam absolute postulat extraordinarii magisterii usum; cum ordinarii magisterii auctoritate componi omnino potest. Monstrant solummodo verba illa Decreti singulare momentum ac pondus; minime vero cum certitudine evincunt eius infallibilem valorem.

407. - Hinc ne primae quidem sententiae defensores omnes, quibus tamen Decretum Eugenii arma erant fortissima, affirmarunt, quaestionem infallibili Summi Pontificis auctoritate esse definitam. Ita e. g. Martinus Ledesma *l. c.* contendit quidem, ob Decretum Papae Eugenii ab omnibus inconcusse tenendum esse, sacramenti Ordinis essentiam in traditione instrumentorum et formulis concomitantibus positam esse, atvero expresse fatetur hoc non esse de fide definitum.

408. - Et recte quidem. Invictis enim argumentis demonstratur, *Eugenii Decretum in ea parte, quae de Sacramentis*

agit, non fuisse locutionem ex cathedra, ac proinde irreformabile non esse.

Primum argumentum efficacissimum suppeditat modus agendi Sanctae Sedis. Quae de fide fuerunt definita S. Sedes tuetur, defendit ac propugnare non cessat. Ecclesia cum errore pascisci nullo modo potest. Unde si definitum fuisset infallibili magisterio, essentiam sacramenti Ordinis sitam esse in porrectione instrumentorum ac formulis *Accipe potestatem etc.*, Ecclesia omnem quamcumque huius veritatis alterationem, negationem, contradictionem prohibuisset atque damnasset. Iamvero, licet non defuerint immo abundaverint Theologi non solum qui dicerent, Papam Eugenium circa sacramenti Ordinis materiam et formam nihil de fide definivisse; verum etiam qui vel publice docerent, praeter instrumentorum traditionem aliquid aliud ad essentiam sacrae Ordinationis requiri; immo etiam assererent instrumentorum porrectionem ad essentiam minime pertinere, eamque in *sola* manus impositione ac oratione sitam esse; tamen Sancta Sedes nunquam huiusmodi Theologos admonuit, nunquam in eorum doctrinam animadvertit, sed plenam omnino tamquam in perfecte libera quaestione permisit libertatem. Quod profecto signum certissimum atque evidens est nihil revera a Papa Eugenio fuisse ex cathedra definitum.

409. - Ad rem cl. Palmieri, qui quaestionem proponit, quomodo inter ea quae praecedentes Pontifices docuerunt discerni possint definitiones fidei ab iis quae tales non sunt, sequens affert criterium: « *Si ea doctrina* (quam supponis definitam) *viguit « deinceps in Ecclesia, nec aliam repereris definitionem, affir- « mare poteris illam fuisse definitionem fidei. Si e contrario « alia quoque doctrina opposita perseveravit, ipsa sciente et « permittente multo magis si probante Romana Sede, affirmare « tibi licebit, illam non fuisse definitionem fidei* ».[1] Hic omnino casus noster est, ut ex sequentibus argumentis magis semper apparebit.

410. - *Secundum argumentum* desumitur ex eo quod Romani Pontifices, non obstante Decreto Eugenii, non cessarunt ritus

[1] *Tract. de Rom. Pont. thes. 31.*

Orientales confirmare atque defendere, quin tamen unquam exegerint ut ordines conferrentur instrumentorum porrectione. Ita e. g. « *quum plerique,* ut dicit Leo Allatius, *Graecos infestarent « et ab eorum ritibus et observantiis eos summo studio, etiam « per vim, conarentur abducere* », Leo X Brevi *Accepimus nuper,* 18 Maii 1521 et Clemens VII Brevi *Provisionis,* 26 Martii 1526 hoc omnino inhibuerunt.[1] Ita pariter Paulus V Brevi *Solet circumspecta,* 10 Decembris 1615, graecos ritus in Sacramentorum administratione probavit et confirmavit. Qui sane agendi modi explicari non possunt, si Eugenius infallibili auctoritate decrevisset, porrectionem instrumentorum essentiam constituere sacrae Ordinationis.

411. - Tertium argumentum subministrant tres alii sapientissimi Pontifices. Clemens VIII in *Instruct. super ritibus Italo-Graecorum* 30 Aug. 1595, contra doctrinam ab Eugenio Armenis in celebri Decreto datam, oleum infirmorum a simplici sacerdote benedictum, ut materiam sacramenti Extremae Unctionis approbat.[2] Decretum itaque irreformabile non erat. - Benedictus XIV, licet dicat se abstinere a iudicio ferendo, apertissime favet sustinetque doctrinam, quae in sola manuum impositione et oratione materiam et formam sacramenti Ordinis reponendam esse docet.[3] Quum tamen neque abstinere a iudicio, neque contrariae sententiae favere potuisset, si Eugenius suprema auctoritate aliquid definivisset. - Leo XIII Constitutione *Apostolicae curae,* 30 Septembris 1896 invaliditatem ordinationum Anglicarum ex solo vitio formae impositionis manuum arguit, nulla facta mentione traditionis instrumentorum. Supponi autem nulla ratione potest, Pontificem Summum ita locutum fuisse, si revera Papa Eugenius ex cathedra circa sancta Sacramenta doctrinam tradidisset Armenis.

412. - Quartum argumentum suggerit Concilium Tridentinum. Concilium enim, non obstante decreto Eugenii, docet *sess. 14,*

[1] *De sacr. Ord.*

[2] *§. 3.* - Bullar. Rom. tom. X, pag. 212.

[3] *De syn. dioec. lib. 8, cap. 10.*

cap. 3 presbyteros per manuum impositionem ordinari; *sess. 23, cap. 2* declarat, essentialia presbyteratus et diaconatus diserte a S. Scriptura tradi, quum tamen Scriptura nullibi loquatur de traditione calicis et patenae ac libri Evangelii; *sess. 23, cap. 3* probat, ordinem esse signum efficax gratiae seu verum Sacramentum ex *2 ad Tim. 1, 6*, ubi de sola manuum impositione sermo est. Iamvero impossibile est, Concilium Tridentinum contradixisse anterioribus definitionibus Ecclesiae. Ergo dicendum has non adfuisse, ac proinde nec in decreto Eugenii IV inveniri.

413. – Quintum argumentum invenitur in tenore Decreti ipsius. Decretum enim sive Instructio Eugenii in fine distinguit diserte inter *definitiones* et inter *traditiones, praecepta, statuta, et doctrinam* (cfr. num. 382). Iamvero ex toto contextu Instructionis cum evidentia prodit « *definitiones* » non comprehendere nisi anteriores, scilicet symbolum Nicaenum et definitiones Concilii Chalcedonensis et Constantinopolitani. Nihil omnino insinuat, Papam Eugenium novam aliquam definitionem addere voluisse. Unde ea quae de Sacramentis traduntur, dantur tantum ut *doctrina*, ad quam se conformare debebant Armeni: doctrinam tunc temporis communem in ecclesia Latina.

414. – Sextum argumentum quaeri potest ex defectu insignis seu notae oraculi infallibilis. Etenim, secundum Concilii Vaticani definitionem, ut locutio fiat ex cathedra sitque infallibilis, necesse est ut Pontifex « *omnium christianorum Pastoris et Doctoris* « *munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate do-* « *ctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam* « *definiat* ».[1] Debet itaque necessario doctrina definiri *ab universa Ecclesia tenenda*. Non quod contendimus, necesse esse pro locutione ex cathedra, ut Papa *immediate* alloquatur universam Ecclesiam. Licet ad unam tantum ecclesiam (puta ad Armenam) litteras suas dirigat, munere tamen supremi doctoris omnium optime fungi potest suaque uti suprema auctoritate apostolica, et doctrinam definire ab universa Ecclesia tenendam:

[1] *Sess. 4, cap. 4.*

aliud omnino est universalis Ecclesiae Doctorem agere, aliud universam simul docere Ecclesiam. Attamen necesse prorsus est, ut Pontifex, unam alloquens ecclesiam, intendat docere universam; necesse pariter, ut in notitiam universae Ecclesiae deducat doctrinam, ad unam ecclesiam immediate directam. Nam ut omnes obedire teneantur Decreto, oportet ut omnibus constet, Decretum revera auctoritate suprema latum esse pro omnibus. Iamvero haec in Decreto seu Instructione pro Armenis deficere videntur. Datum ab Eugenio IV, in nullius (praeter Armenam) ecclesiae notitiam ex officio deductum unquam fuit; sed, post celebratum Concilium Florentinum ultra saeculum latuit. Primus illud detegit atque divulgavit cl. Tapper († 1559). Unde intentio Papae Eugenii non videtur fuisse ex cathedra loqui, et pro suprema sua apostolica auctoritate aliquam doctrinam definire ab universa Ecclesia tenendam.

415. - Septimum argumentum fortissimum desumitur ex sensu Ecclesiae credentis. Sicut Ecclesia docens inerrabilis est in docendo, ita Ecclesia credens inerrabilis est in credendo. Definitioni ex cathedra plaudit paretque Ecclesia catholica. Iamvero ex quo cognitum evulgatumque fuit Decretum seu Instructio pro Armenis, paucissimi illud nativo suo vero ac integro sensu acceptarunt et secuti sunt; multi quaesierunt omni modo illud explicare, accommodare et sospitare; alium substituentes sensum, obvium sincerumque non admiserunt; plurimi, inter quos doctissimi theologi et canonistae, optimi ac devotissimi Ecclesiae filii, immo sancti et Doctores Ecclesiae, proponere sine scrupulo ausi sunt atque etiam aperte docere ac defendere doctrinam contrariam immo plane oppositam Decreto. Haec sane liquido demonstrant definitionem ex cathedra circa essentiam sacramenti Ordinis ab Eugenio IV datam non esse.

416. - In simili demonstratione (defectus scilicet definitionis ex cathedra in causa Galilei) apposite scribit cl. Palmieri quae in quaestionem nostram perfecte quadrant: « *Definitionem Romani* « *Pontificis ex cathedra secutus est semper consensus et obe-* « *dientia omnium Episcoporum, omniumque fidelium subiectio...* « *Si ergo fuisset definitio Pontificis, fuisset quoque sententia ab*

« *universa Ecclesia approbata, obtinuissetque locum dogmatum* « *definitorum ... At si res ita se habuit, qui fieri potuit ut dein-* « *ceps in Ecclesia doctrina opposita invalesceret, et scientibus* « *omnibus Episcopis defenderetur? Haec prorsus componi ne-* « *queunt. Non ergo exstitit definitio ex cathedra Romana* ».[1]

417. - Hisce argumentis nobis videtur certo ac evidenter demonstratum esse, Summum Pontificem Eugenium IV sua Instructione ad Armenos, ad finem Concilii Florentini datam, nihil circa divina Ecclesiae Sacramenta, speciatim circa essentiam sacramenti Ordinis suprema sua apostolica et infallibili auctoritate definire voluisse. « *Censetur Eugenius,* ait merito S. Al- « phonsus, *loquendo de sacramento Ordinis, non omnia dogma-* « *tice asseruisse, sed in pluribus se accomodasse ad communem* « *loquendi modum, quo res in septem ordinibus adhibitae utpote* « *discrimen uniuscuiusque ordinis expressius significantes,* « *communiter vocantur materiae Sacramentorum* ».[2]

Quinta itaque pars Decreti seu Instructionis, quae agit de sanctis Ecclesiae Sacramentis, quaeque doctrinam exhibet tum temporis magis in Ecclesia receptam, valorem documenti ab ordinaria Magisterii auctoritate conditi non excedit.

Quaestio tertia: *Licetne a doctrina de Sacramentis, speciatim circa essentiam sacramenti Ordinis, ab Eugenio IV in Decreto pro Armenis exposita, recedere atque oppositam sententiam tenere ac propugnare?*

418. - Ex hucusque dictis implicite iam huic quaestioni responsum est. Nihilominus ob singularem rei gravitatem iuvat etiam expresse quaestionem ponere atque tractare. Dependet autem quaestio ab hac altera generali atque gravissima quaestione, quae nostra praesertim aetate independentis rationis specialem meretur attentionem: *Utrum et quo casu liceat recedere a decretis doctrinalibus Sanctae Sedis, quae non ab infallibili magisterio, sed solum ab ordinaria ac fallibili Ecclesiae auctoritate proficiscuntur?*

[1] *De Rom. Pontif. thes. 33.*

[2] *Lib. 6, num. 12.*

419. - Ad rite respondendum huic quaestioni animo recolendum est, D. N. Iesum Christum duplex instituisse magisterium in Ecclesia: **ordinarium** unum, quo vera auctoritate, a Christo collata, citra tamen infallibilitatis charisma fideles instituuntur atque ducuntur; **extraordinarium** alterum, quo singulari modo cum certitudine infallibili doctrina credenda traditur. *Ordinarium* magisterium contulit omnibus ac singulis Ecclesiae pastoribus seu episcopis, tam supremo quam inferioribus, specialissimo tamen modo Supremo Pastori pro altissimo suo officio, aliis pastoribus sub eiusdem dependentia. *Extraordinarium* Supremo tantum Pastori in individuo; aliis vero episcopis illud non communicavit nisi quatenus sive in Concilio congregati sive per orbem dispersi concorditer cum Supremo Pastore doctrinam de fide vel moribus tanquam divinitus revelatam fidelibus credendam proponunt. Potuisset utique Dominus omnibus ac singulis Ecclesiae pastoribus individualiter charisma infallibilitatis conferre; sed hoc noluit. Uni Petro commisit *confirmare fratres*. Potuisset pariter statuere, ut Supremus Pastor non doceret nisi infallibilibus oraculis; sed congruenter ad conditionem humanam et ad maiora fidelium merita voluit, ut ordinarie doceret fideles communi modo, magisterio ordinario, et solum ubi necessitas quaedam vel praecellens utilitas hoc postulasset, supremum ac irreformabile iudicium interponeret. Hinc ex ipsa Christi institutione Romanus Pontifex non semper et in omnibus magisterio suo supremo et infallibili regit docetque Ecclesiam; sed magisterio ordinario docere solet, quod licet summopere venerandum, charismate tamen infallibilitatis munitum non est. Raro tantum suprema sua ac infallibili docendi auctoritate utitur.

420. - Ad rem cl. Palmieri « *ius docendi,* ait, *quod Romano « Pontifici competit, non tale est ut exerceri non possit nisi actu « solemni quo universae Ecclesiae obligatio imponitur credendi, « sed exerceri etiam potest citra huiusmodi solemnitatem; nam est « ius ordinarium et constans, bonumque fidelium exigere potest « ut frequenter exerceatur etiam cum opportunum non sit « solemnem edere definitionem. Porro huic iuri per se respondet*

« *assensus mentis* (ex parte fidelium); *est enim ius dirigendi* « *mentes* ».[1]

421. – Ita Ecclesia rem semper intellexit atque in praxim deduxit. Hinc quoque Concilium Vaticanum, infallibilitatem Romani Pontificis solemniter definiens, non edixit omnia S. Sedis decreta doctrinalia infallibilia esse, sed ea tantum, quae a Pontifice tanquam Supremo omnium fidelium Pastore ac Doctore de fide ac moribus pro universali Ecclesia feruntur: « *Docemus* « *et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pon-* « *tificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum* OMNIUM CHRI- « STIANORUM PASTORIS ET DOCTORIS MUNERE FUNGENS, PRO SUPREMA « SUA APOSTOLICA AUCTORITATE DOCTRINAM DE FIDE VEL MORIBUS « AB UNIVERSA ECCLESIA TENENDAM DEFINIT, *per assistentiam* « *divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pol-* « *lere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda* « *doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit* ».[2]

422. – Summus Pontifex ordinarium magisterium exercere solet sive Litteris Apostolicis, Encyclicis, Constitutionibus aliisque Actis similibus; sive Rescriptis, Decretis, Decisionibus, Instructionibus etc. SS. Romanarum Congregationum, quae ipsius Pontificis nomine ac auctoritate promulgantur. Omnia ergo haec documenta, etiamsi agunt de doctrina, fidem ac mores vel connexas disciplinas spectante, absoluta inerrantia seu infallibilitate non muniuntur. Quamdiu simpliciter docet Summus Pontifex, non vero intendit aliquid pro universa Ecclesia definire, seu « *finaliter determinare* », ut loquitur S. Thomas,[3] et omnibus Christifidelibus actum fidei imponere, eius edicta absolutae infallibilitatis privilegio non gaudent, atque proinde absolute fieri potest ut reformabilia inveniantur.

423. – Hisce Sanctae Sedis documentis doctrinalibus debetur ab omnibus fidelibus religiosa submissio et obedientia. Promanant enim a magisterio ab ipso Christo instituto ad dirigendam

[1] *De Rom. Pont. thes. 32, scholion 2.*

[2] *Sess. IV, cap. IV.*

[3] *2a 2ae qu. 1, art. 10.*

docendamque Ecclesiam. Neque solum ab indoctis debetur haec docilitas, verum etiam a doctis. Tam hi quam illi ad Ecclesiam pertinent discentem, quae Ecclesiam docentem audire ac sequi tenetur. Hinc optimo iure Papa Pius IX de Conventibus Theologorum Germaniae ad Archiep. Monaco-Frisingensem scribens: « *Cum agatur,* inquit, *de illa subiectione, qua ex con-* « *scientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contempla-* « *tivas scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae* « *afferant utilitates, idcirco eiusdem conventus viri recognoscere* « *debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata* (de « fide scilicet definita) *Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur,* « *verum etiam* **opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus,** « **quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus** « **proferuntur,** *tum iis doctrinae capitibus, quae communi et con-* « *stanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veri-* « *tates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae* « *capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen* « *aliam theologicam mereantur censuram* ».[1]

424. - Religiosa docilitas, quam fideles omnes tam docti quam non docti erga magisterium ordinarium Sanctae Sedis monstrare debent, duo officia comprehendit: unum negativum, positivum alterum.

Negativum officium iubet, propositam doctrinam non reiicere, non impugnare, non vituperare vel quocumque modo censurare. - Silentium obsequiosum seu reverentiale. - Praeterquam enim quod agendo contrarium resisteretur ordinationi Dei, facile praeberetur scandalum aliis, aliquando etiam gravissimum.

Positivum officium praecipit, ut mens ad religiosum assensum inclinetur, propria ratio atque proprium iudicium humiliter atque religiose subiiciatur auctoritati Ecclesiae. Et ratio patet. Ipsa enim docet ex officio, quod Christus ei commisit, et cui omnes proinde christifideles se subiicere tenentur. Iuri divinitus dato dirigendi mentes respondeat oportet ex parte mentium officium assensus.

[1] *Epist.* « *Tuas libenter* » *21 dec. 1863*

425. - Docto imprimis incumbit, doctrinam propositam, decisiones a S. Sede datas, religioso assensu accipere, illustrare, probare atque defendere. Ubi autem a propria iam formata de re opinione doctrina ab Ecclesia proposita fortasse differret, officium ipsius est non examinare, an vera sit doctrina a S. Sede tradita, sed humili docilitate magisterium Ecclesiae audire, propriam sententiam examinare eamque recognoscere, argumenta propria suspecta habere, eaque sibi ipsi diffisus severae censurae submittere. Qui ita agit, (quod proh dolor! a multis non fit), ut plurimum inveniet, non doctrinam ab Ecclesia propositam, sed propriam sententiam reformatione indigere. - Quodsi in casu aliquo exceptionali eveniret, ut non obstante omni docilitate post diligentissimum etiam examen propria opinio melius fundata videatur, assensus saltem probabilis decretis Ecclesiae praestari debet. Quodsi vero talis esset, aut saltem appareret alicui, evidentia erroris in Decreto, ut ratio ad assensum etiam probabilem adigi nullatenus possit (quum ratio humana evidentiae resistere nequeat), tum sufficit negativum servare officium. Hoc autem vix unquam accidere poterit.

426. - Errant itaque qui putent, decreta doctrinalia Sanctae Sedis, eo quod ab infallibili magisterio non procedant, *scientificum* tantum habere valorem, qui vim argumentorum, quibus innituntur, non excedit; errant vehementer qui affirment, liberum unicuique esse, doctrinam ab ordinario magisterio propositam negligere, immo etiam impugnare ac propriam ipsi opinionem praeferre hancque contra ipsam defendere. - Errant qui dicant, sufficere, silentium externum servare obsequiosum seu reverentiale, nec necesse esse intellectus exhibere obsequium. - Errant qui autument, virum saltem doctum ac in materia versatum nullatenus adstringi ad mentis submissionem, eumque pro sua conscientia admittere vel reiicere aut negligere posse quae a fallibili Ecclesiae magisterio proponuntur. - Errant qui non jam propriae opinionis rationes recognoscunt, sed decreta potius Ecclesiae rigoroso examini subiicere non verentur ad propriam sententiam iustificandam ac sustinendam. - Errores

isti ex clanculum nostris diebus, etiam inter eos, qui veros atque addictos Ecclesiae filios se reputant, serpente rationalismo proveniunt.

427. - Neque quae descripsimus officia humanae rationi contraria sunt aut minus conformia. Praeterquam enim quod ex Christi voluntate ac ordinatione procedant atque infinita Sapientia aliquid contrarium aut minus conforme humanae rationi praecipere non possit, edicta ipsa magisterii ordinarii Ecclesiae omni humano praesidio veritatis tegi consueverunt, neque divina assistentia destituuntur. Ubi aliquod decretum doctrinale condendum est a Sancta Sede, praemitti solent studia specialia, inquisitiones, informationes undequaque requisitae. Deinde consuevit res a Dominis Consultoribus, viris doctis, quique, sepositis praeconceptis opinionibus partiumque studiis, soli veritati intendunt, diligenter et non raro pluries examinari et discuti. Tum ab Emis Patribus Cardinalibus, qui ad hoc in partem ministerii vocati sunt, ut Summo Pontifici suis consiliis adsistant, iterum ad trutinam revocatur atque accurate perpenditur. Demum Summi Pontificis iudicio subiicitur. - Ad haec accedit quod magisterium ordinarium S. Sedis, quum ad universas ecclesias et ad ipsos earum pastores sese extendat, indubitanter magis divina assistentia fidere possit.

Revera, seposita infallibilitate, vix aliquid efficacius excogitari potest ad erroris periculum eliminandum.

428. - Nihilominus, uti iam dictum est, absolute loquendo evenire potest, Deo ita permittente, ut in decretis ordinarii magisterii S. Sedis error irrepat. Ex hoc autem nullum sequitur inconveniens. Non pro Ecclesia, quum Christus ob sapientissimas rationes ita ordinarium magisterium instituerit, ipsique in ultimo quod de re ferret iudicio indeficienter adsistat. Non pro fidelibus, etiam doctis; nam licet aliquando accidere possit ut non statim tota inveniatur veritas, scientia tamen ac mentis accumen exercetur ac stimulatur, christianae virtutes coluntur, et docili submissione innumeri evitantur errores, in quos mens humana propriis viribus relicta tam facile prolabitur. Rationi consentaneum non est timore possibilis alicuius erroris, vindi-

care licentiam immoderatam et nimia fidentia in certum periculum multorum ac gravissimorum errorum incurrere.

Quodsi itaque, impletis fideliter officiis expositis, nihilominus cum certitudine inveniatur, decretum aliquod magisterii ordinarii reformatione indigere, licitum omnino atque laudabile est debita cum reverentia argumenta proferre in contrarium, et ab Ecclesia humiliter expectare decreti recognitionem.

Concludimus ergo ad propositam quaestionem respondendum esse, servatis servandis licere ab Eugenii IV doctrina, de sacramento Ordinis in Decreto pro Armenis proposita, recedere et sententiam contrariam sustinere.

Quaestio quarta: *Adsuntne rationes illae gravissimae, quae vere cogunt a doctrina Eugenii IV recedere?*

429. - Ex omnibus quae hucusque tractavimus nobis constare videtur, gravissimas immo insuperabiles atque cogentes adesse rationes ad recedendum a doctrina de essentia sacramenti Ordinis, ab Eugenio IV proposita. Doctrina enim haec evidenter contradicit traditioni Sanctorum Patrum, Conciliorum, ecclesiarum Occidentis et Orientis. - Ex Theologis innumeri fuerunt, qui religione ducti quaesierunt Decretum explicare atque cum traditione componere; sed hoc facere non potuerunt nisi recedendo partim a sensu Decreti et partim ab ipsa traditione. Plurimi etiam, servatis debitis reverentia et docilitate, Decreto simpliciter refragati sunt, oppositam doctrinam veram ac certam asserentes, atque inter eos fuerunt Sancti, Ecclesiaeque Doctores. Sancta Sedes autem non reclamavit sed plenam libertatem reliquit inquisitionis, discussionis, contradictionis. Immo dum ex Pontificibus nullus unquam Decretum Eugenii de essentia sacramenti Ordinis vindicavit, defendit aut suum fecit, plures ab eo aperte destiterunt.

430. - Haec iam sufficerent. Expedit tamen quasdam adhuc alias rationes exponere, quibus etiam singularis inest vis probationis.

Qui Decretum Eugenii, hoc est, doctrinam, essentiam Ordinationis in sola instrumentorum traditione collocantem, susti-

nent, vel qui partialiter in ea essentiam Sacramenti reponendam esse asserunt, duabus imprimis insolubilibus nodis implicantur. Unus est quod non eadem foret essentia sacramenti Ordinis in ecclesia Orientali et Occidentali; alter quod in ipsa ecclesia Occidentali essentia Sacramenti post multa saecula fuisset mutata. - Ex hisce gravissimis difficultatibus compluribus quidem modis sese extricare tentarunt, nulla vero ratione vel aliquomodo sese extrahere potuerunt. - Iuvat autem haec videre, quo magis semper sincera veritatis lux a fallaci erroris calligine discernatur.

431. - Prima itaque difficultas, qua implicantur, qui, vere vel apparenter Decreto Eugenii inhaerentes, essentiam sacramenti Ordinis in instrumentorum traditione totaliter vel partialiter reponunt, in eo consistit, quod in ecclesia Orientali, quae verum habet sacramentum Ordinis licet nullum porrigat instrumentum in administratione eiusdem, materia et forma Ordinis differret a materia et forma eiusdem Sacramenti in ecclesia Occidentali. Essentque proinde duo Sacramenta diversa, quod admitti nulla ratione potest.

Ad hanc difficultatem solvendam aut evadendam omnis via tentata est:

432. - 1° Dixerunt aliqui, ecclesiam Orientalem errare ac sacramentum Ordinis non habere, quia instrumentorum traditionem, quae secundum Eugenii decretum essentialiter ad sacram Ordinationem requiritur, non adhibent.

Sed hoc nequaquam dici potest. Romani enim Pontifices Leo IX, Coelestinus III, Innocentius III cum Concilio Lateranensi IV, Innocentius IV, Alexander IV, Gregorius X cum Concilio Lugdunensi, ipse Eugenius IV cum Concilio Florentino et Clemens VIII (qui collegium Graecum in urbe magnifice dotavit, constituitque ut episcopus Graecus Romae commoraretur ad sacras ordinationes secundum ritum Graecum ministrandas; qui Russos quoque in gratiam et unionem recepit, eorumque episcopos et sacerdotes agnovit), ritus et ordinationes orientales legitimas et validas habuerunt atque expresse quoque confirmarunt.

433. - 2° Alii in medium proferre ausi sunt, Deum specialem concessisse dispensationem ecclesiae Graecae, ut sola impositione manuum et oratione sine ulla instrumentorum traditione sacramentum Ordinis conferre posset. Ita *Hurtado, Capreolus,* aliique.

Verum, haec levis, ne dicam insulsa excogitatio ne apparentiam quidem probabilitatis habet. Argumenta proferant, probentque hi auctores, hanc tam singularem et nullam ob rationem necessariam dispensationem a Deo factam esse. Ita respondere ac revera deum ex machina proferre, nimis manifeste monstrat causae egestatem ac omnis solidi fundamenti defectum.

434. - 3° Alii rursus cum *Fagnano* perfracte contendunt, Graecos in essentialibus nequaquam differre a Latinis, sed sacramentum Ordinis conferre *per veram ac formalem instrumentorum traditionem, eamdem prorsus qua illud conferunt Latini.* Hanc singularem assertionem evincere putant:

a) ex ipso Decreto Eugenii IV; impossibile enim fuisset, dicunt, ut Eugenius declarasset sacramenti Ordinis essentiam sitam esse in porrectione instrumentorum et verbis *Accipe potestatem,* etc., nisi etiam Graeci ita Ordinem contulissent;

b) ex eo quod Pontifices non semel reformarunt ritus ecclesiae Graecae, etiam in accidentalibus, sed numquam reformarunt ritum ordinationis; ergo Graeci semper ordinarunt cum traditione instrumentorum;

c) eo quod scriptores antiqui, qui tractant de essentialibus sacrae Ordinationis, numquam loquuntur de discrepantia inter ecclesiam Orientalem et Occidentalem; ergo etiam Orientalis ecclesia porrectione instrumentorum ordinat.

435. - *Resp.* Uti patet hoc argumentandi genus non est nisi solis altissimi lucem negare seu potius ignorare, ac denuo monstrat, quantopere in hac quaestione ignorantia necnon praeconceptae opiniones partes habuerint, ac mentes etiam doctissimorum hominum obnubilaverint. Quid dixissent auctores illi, si scivissent extra omne dubium esse, orientales nunquam usos

esse instrumentorum traditione in sacramenti Ordinis administratione, et Ecclesiam nihilominus validas semper habuisse et habere eorum ordinationes?

436. - Ex eo autem quod Pontifices etiam in accidentalibus non semel reformarunt ritus ecclesiae Graecae, ritum tamen sacrae Ordinationis numquam innovarunt, (licet tamen revera non semel eum recognoverint), denuo infertur, Pontifices validas ac legitimas habuisse ordinationes, sola manuum impositione sine ulla instrumentorum porrectione collatas, ac proinde in panis ac vini porrectione non agnovisse essentiam Ordinationis. Et quod scriptores antiqui, de essentialibus sacrae Ordinationis tractantes, numquam loquuntur de discrepantia inter ecclesiam Orientalem et Occidentalem, iterum probat, hanc differentiam non extitisse, atque ecclesiam Occidentalem antiquitus sacramentum Ordinis contulisse sola manuum impositione sicut ecclesia Orientalis.

437. - 4° Alii cum *Gravina, Salmanticensibus, Liberio a Iesu,* etc., dicunt Graecos, licet non habeant formalem instrumentorum porrectionem, aequivalenter tamen tradere eo quod ordinandi frontem applicant ad sacram aram, in qua instrumenta posita sunt.

Resp. Est haec utique ingeniosissima inventio; verumtamen qui Graecum ritum vel leviter examinat, statim videt, illam frontis applicationem nulla ratione comparari posse cum Latina instrumentorum porrectione, nec huius sensum ullo modo induere. Aequalis omnino in recentiori ritu Graeco applicatio recurrit in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi; deest prorsus omnis forma, quae pars principalior est ac sensum actionis determinat. Conferantur supra relata num. 225 seq. – Sed quod fortius est, non invenitur nisi in *paucissimis* euchologiis Graecis; quasi in omnibus omnino desideratur; sicut etiam plane deest in omni alio ritu Orientali: in Syriaco, Cophtico et in antiquo Armeno, quorum tamen ordinationes ratas habet Ecclesia. Confer supra dicta, *l. c.*

438. - 5° Alii respondent cum *Arcudio, Sylv. Mauro,* etc., nullum esse discrimen inter Latinam et Graecam ecclesiam,

quia porrectio instrumentorum, quae sine protensione manuum fieri non potest, est quaedam manus impositio.

Resp. Non felicior est argutia praecedentibus. Patres, Concilia, Ritualia clare loquuntur de impositione manus *super caput ordinandi;* sed porrectio instrumentorum non fit super caput. - Antiqua quoque Statuta et Ritualia expresse dicunt: subdiaconus « *quia manus impositionem non accipit, patenam « de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum* » sic formaliter opponens manus impositionem porrectioni instrumentorum. - Demum, si hoc verum esset, dicendum foret etiam baptismum, poenitentiam, extremam unctionem et omnes minores ordines manus impositione conferri.

439. - 6° Alii rursus (iique multi sunt) cum *Bellarmino, Gonet, Billuart, Amico, Lugo, Gotti,* etc., omnia perbelle componere putant dicendo, materiam et formam Latinorum et Graecorum in sacramento Ordinis, *materialiter* quidem diversas esse, *formaliter* vero easdem, eo quod Christus essentialia huius Sacramenti non instituit in specie, sed generice tantum indicavit, Ecclesiae relinquens potestatem signum sacramentale determinandi in specie. Hinc, dicunt, ecclesia Orientalis assumpsit manus impositionem, ecclesia Occidentalis instrumentorum porrectionem. Utraque vero caeremonia eamdem potestatem conferendam significat.

440. - Iuvat audire Gonet: « *Huic difficillimae obiectioni « respondeo,* ait, ... *Christus non determinavit in specie materiam « et formam huius Sacramenti, sed generice tantum instituit ut « loco materiae adhiberetur signum aliquod sensibile significa- « tivum potestatis, quae traditur, et loco formae adhiberentur « verba eamdem potestatem sufficienter exprimentia. Hoc autem « reperitur in utraque ecclesia Latina et Graeca, unde utraque « servat omnia essentialia a Christo instituta, quamvis deter- « minatio signi sensibilis et materialis praedictam potestatem « significantis, diversa sit apud Graecos et Latinos et in ipsa « ecclesia Latina pro diversis temporibus* ».[1]

[1] *Clypeus thom. disp. 2, art. 3, § 2, num. 62.*

441. - *Resp. Gratis* omnino asseritur ecclesiam Occidentalem ut signum sacramenti Ordinis assumpsisse instrumentorum porrectionem. Penitus necesse est hoc probare. - Sed *erronee* quoque asseritur. Constat enim indubie, Occidentalem ecclesiam per novem vel decem saecula sacramentum Ordinis contulisse sola manus impositione. Constat pariter, eam numquam mutasse hunc ritum originalem, sed, eo immutato persistente, ad maiorem Sacramenti solemnitatem et ritus explicationem, decursu saeculorum varias caeremonias adiunxisse, inter quas porrectio instrumentorum cum formulis potestatis expressivis. Constat similiter, non fuisse Ecclesiam, quae aliquo solemni actu destituisset impositionem manus, sive detraxisset, ac materiam et formam in porrectione instrumentorum formulisque coniunctis collocasset; sed fuisse scholasticos, qui coeperunt traditiones instrumentorum vocare materias formulasque respectivas formas, et docere in eis agnoscendam esse essentiam sacramenti Ordinis, secus ac universa traditione tenuerat. Unde patet, etiam hanc theoriam pro causae indigentia excogitatam esse atque omni fundamento carere.

442. - Insuper ipsa sibi fossam fodit. Asserendo enim in utraque ecclesia tam Orientali quam Occidentali « *omnia essentialia a Christo instituta servari* » semperque servata esse ac propterea vere inveniri idem sacramentum Ordinis in utraque Ecclesia, necessario sequitur, ecclesiam Latinam in illis essentialibus, quae semper immutata servavit, et quibus antiquitus sine caeremonia porrectionis instrumentorum Sacramentum confecit, quaeque eadem sunt ac quae servat ecclesia Orientalis, sacramentum Ordinis etiam nunc indubie possidere atque conferre.

Quod demum asseritur Christum non in specie sed generice tantum signum sacramentale determinasse atque proinde Ecclesiam habere potestatem illud mutandi, de hoc infra specialis instituendus erit sermo.

443. - 7° Alii demum, uti *Estius, Vasquez, Gammachaeus, Frassen, Holzman, Philippus a SS. Trinitate, Poncius, Layman* aliique nodum insolubile alto silentio premunt. Atque

ita faciunt vel quia de illo non cogitarunt, quod sane non argueret serium quaestionis studium, vel quia Orientalium ritus plane fortasse ignorarunt ac neglexerunt, vel quia nescierunt, quomodo sese salvarent ex hac gravissima difficultate, quae totam theoriam de necessitate traditionis instrumentorum in sacra Ordinatione evertit.

444. - SECUNDA GRAVISSIMA DIFFICULTAS seu nodus, quem solvere non possunt qui, Decretum Eugenii sustinere volentes, in traditione instrumentorum totalem vel partialem essentiam sacramenti Ordinis reponunt, consistit in eo, quod ecclesia Latina nunc non ministraret Sacramentum eadem materia et forma, quibus illud saeculis elapsis ministravit; quod consequenter nunc alia esset essentia Sacramenti atque diversa ab ea quae primum fuit, aliudque, consecutione irrecusabili, ipsum Sacramentum quam quod antiquitus erat.

445. - Ad hunc stringentem atque strangulantem laqueum solvendum vel saltem evadendum omnis pariter via tentata fuit. Quo exitu ex dicendis patebit.

1° Plures, ut *Caietanus, Gerson, Thomas Sanchez,* etc. difficultatem simpliciter non tangunt. Hic agendi modus profecto omnium facilior est, sed difficultatem non solvit. Verosimilius hi auctores ita egerunt ob easdem, quas supra num. 443 indicavimus, rationes.

446. - 2° Alii cum *Dominico Soto, Gregorio de Valentia, Estio, Grandi, Henriquez*, etc. audacter affirmant, inde ab initio in ecclesia ordinationem factam esse per instrumentorum traditionem. « *Respondeo,* inquit Gregorius de Valentia, *non esse « dubium, quin Apostoli in ordinatione sacerdotum ea forma « essentiali* (hoc est: instrumentorum traditione cum formula « *Accipe potestatem,* etc.), *quam ab ipsis didicit Ecclesia, usi « fuerint, tametsi id non expresse legitur* ».[1] Dom. Soto idem asserit et sibi constans perfracte subiungit, impositionem manuum, qua sancti Apostoli, ut legimus in S. Scriptura, in constituendis episcopis, sacerdotibus et diaconis usi sunt, non fuisse

[1] *Disp. 9, qu. 1, punct. 5.*

signum sacramentale collativum gratiae, sed caeremoniam quamdam mere accidentalem et sacramentale quoddam, ecclesiastica auctoritate institutum. « *Neque ambigere licet,* ait, *quin « formam, qua Ecclesia utitur, per traditionem eorumdem apo- « stolorum didicerit, qui a Christo eamdem edocti fuere. Qua- « propter illa manuum impositio* (qua ordinabant Apostoli) *non « erat Sacramentum sed sacramentale quoddam* ».[1]

447. - *Resp.* Audacissima est assertio, Apostolos ordinasse instrumentorum traditione, quum Scriptura aperte narret eos ordinationes fecisse manuum impositione et oratione. Nisi ineluctabiles e traditione afferantur rationes, quibus ad aliam Scripturae interpretationem constringimur, incredibilis haec assertio admitti nequit. - Audacior adhuc ac nimis temeraria, quamquam logice ex praemissis sequitur, est assertio, impositionem manuum, de qua S. Scriptura loquitur, fuisse mere quoddam sacramentale. Sanctus enim Paulus expresse dicit per eam gratiam fuisse communicatam: « *Resuscites gratiam Dei, quae « est in te per impositionem manuum mearum* ».[2]

448. - Merito Maldonatus: « *Videtur mihi esse temerarium ita « Scripturam deserere et consectari chimeras, i. e. rationes natu- « rales* » - *vetus Ecclesia nunquam sine manus impositione ordinavit; de traditione autem instrumentorum nulla mentio - « videtur nimis durum esse caeremoniam, quam nobis perspicue « tradunt Apostoli, excludere a natura Sacramenti, et inducere « illam, de qua nulla fit mentio in Scriptura* » - « *hoc est labe- « factare totum Sacramentum et victoriam concedere haereticis. « Nam si impositio manuum non est essentialis caeremonia, « per quam hoc Sacramentum exhiberi debeat, non potest pro- « bari ex Scripturis, ordinem esse Sacramentum* ».[3]

449. - Similem levitatem ac audaciam prae se fert assertio quaedam huc pertinens, quaeque apud plures invenitur. Volentes scilicet respondere obiectioni ipsis factae: diaconos iam ordinatos fuisse antequam liber Evangeliorum scriptus esset, ideo-

[1] *In 4 Sent. dist. 24, qu. 1, art. 4.*

[2] *2 Timoth. 1, 5.*

[3] *De Ord. qu. 3, p. 2.*

que in huius traditione materiam diaconatus sitam esse non posse, asseverant, initio, antequam conscripta essent Evangelia, diaconis in sacra ordinatione datam esse chartam, in qua mysteria quaedam fidei scripta erant. Ita *Henriquez, Tanner, Herincx, Domin. Soto, Pirhing, Wiggers*, etc.: « *Probabilius* « *videtur*, ait Henriquez, *quod in primitiva Ecclesia dabatur* « *diacono charta, in qua continebantur scripta mysteria fidei,* « *quae habentur in Evangelio* ». « *Respondeo imprimis*, inquit « Herincx, *potuisse ab initio in chartis fuisse descripta aliqua* « *fidei mysteria, quae utique habuissent eamdem vim et nomen* « *Evangelii et ad ordinationem sufficiebant* ».[2]

450. - *Resp.* Tales assertiones revera risum movent ac totam nuditatem atque infirmitatem sententiae propugnatae aperte ostendunt. Hinc quoque est quod nullo modo tentatur, asseverationes illas aliquo modo probare: Benedictus XIV optimo iure huiusmodi affirmationem dicit « *ridiculam et plane absurdam* ».[3]

451. - Nec felicius videtur ingeniosum effugium cl. *Bellarmini* aliorumque. Eidem difficultati satisfacere quaerentes asserunt, diaconos in primitiva Ecclesia non fuisse ordinatos ad legendum Evangelium, et propter hanc rationem tunc temporis non pertinuisse ad essentiam sacrae ordinationis diaconalis libri Evangeliorum porrectionem.

452. - *Resp.* Si res ita se haberet, sequeretur vel traditionem illam neque nunc pertinere ad diaconalis ordinationis essentiam, vel diaconatum hodiernum specie differre a diaconatu antiquo primaevae Ecclesiae. Nam contineret nunc potestatem, divinam utique, quam primitus non habebat. Nescio an huiusmodi gratuitis asseverationibus veritas iuvetur.

453. - 3° Alii cum *Richardo a Mediavilla, Vasquez, Hurtado, Nugno, Philippo a SS. Trinit., Fagnano*, etc. dicunt, Christum pro primaeva Ecclesia ad tempus dispensasse atque permisisse,

[1] *Lib. X de Ordinis sacr. cap. 8.*
[2] *Disp. X de sacr. Ord. qu. 4, num. 45.*
[3] *De Synodo lib. 8, cap. 10, num. 2.*

ut ordinatio fieret sola manuum impositione sine instrumentorum traditione. « *Apostoli autem,* ait Philippus a SS. Trinit. (ex « Christi dispensatione) *conferebant ordines sacros sine requi-* « *sita materia* ».[1] Richardus dicit: « *Apostolos in primitiva Eccle-* « *sia, ex inspiratione Spiritus Sancti sola manus impositione* « *ordinasse* ».[2] Et Fagnanus: « *In primitiva Ecclesia,* ait, ... « *credendum est Christum Dominum aliam materiam praescri-* « *psisse, qua Apostoli uterentur in ordinatione diaconi, quo-* « *usque Evangelium scriptum esset. Ad quod dicendum nos* « *impellit necessitas; nam cum ex una parte Concilium Flo-* « *rentinum diffiniat, traditionem huius libri materiam esse ordi-* « *nis diaconatus, et ex altera certum sit tunc temporis librum* « *huiusmodi non extitisse, ne dicamus sacramentum Ordinis* « *diaconatus fuisse tunc administratum sine materia, cogimur* « *dicere aliam materiam fuisse a Domino institutam, cum essen-* « *tialia Sacramentorum praescribere non spectet nisi ad ipsum* « *Sacramentorum Institutorem* ».[3]

454. - *Resp.* Pro asserta hac dispensatione Christi sicut nulla existebat ratio, ita nec ulla affertur probatio. - Quod autem attinet ad necessitatem, ut ait Fagnanus, talia asserendi, haec non existit nisi propter falsam persuasionem Fagnani et quorumdam aliorum, Concilium Florentinum novum dogma definivisse. Sed Concilium Florentinum nequaquam definivit materiam ordinationis esse traditionem instrumentorum, et doctrina hac de re in Decreto pro Armenis contenta, non est ex cathedra data, quam omnes credere tenentur, ut supra late ostendimus.

455. - 4° Alii cum *Gammachaeo, Cabassutio,* etc. dicunt, Christum instituisse utique sacramentum Ordinis in impositione manus, « *quam,* ait merito Cabassutius, *nec ipsa mutare possit* « *Ecclesia* »;[4] atvero dedisse potestatem Ecclesiae adiungendi essentialibus ritibus aliquas caeremonias tanquam *conditiones, sine quibus non* possit valide ministrari Sacramentum. Unde,

[1] *Disp. 2, dub. 3.*

[2] *In 4 sent. dist. 24, art. 4, qu. 3, ad 4.*

[3] *L. c. n. 65.*

[4] *L. c. num. 6.*

sicut nuptiae ante Tridentinum clandestine celebratae validae erant, post publicatum vero Concilium invalidae sunt, ita quoque sacramentum Ordinis antea sine traditione instrumentorum validum fuit, nunc vero invalidum est.

456. - *Resp.* Potestas apponendi Sacramento *conditionem sine qua non* esset potestas impediendi effectum Sacramenti, positis etiam omnibus essentialibus a Christo institutis; sed huiusmodi potestas aequivalet potestati mutandi essentialia Sacramenti. At nulla probatur ratione, Ecclesiam a Christo accepisse talem potestatem, immo probatur contrarium, ut sequenti articulo videbimus. - Exemplum autem e sacramento matrimonii deductum omnino praeposterum est. Christus enim hoc Sacramentum instituit in *legitimo consensu* baptizatorum; unde posito hoc legitimo consensu tam ante quam post Tridentinum, sicut post decretum *Ne temere*, Sacramentum perficitur, et huic legitimo consensui Ecclesia non habet potestatem apponendi conditionem, sine qua non produceret effectum suum. Sed, quum consensus matrimonialis sit verus contractus, et contractus regatur legibus societatis, Ecclesia statuere potest quid requiratur ut consensus sit legitimus. Hoc autem non est apponere conditionem sine qua non essentialibus a Christo statutis, sed impedire quominus adsint essentialia illa, sicut si quis panem et vinum corrumperet pro SS. Eucharistia.

457. - 5° Alii demum, iique numero maiores, uti *Salmanticenses, Gonet, Layman, Praepositus Atreb., Marchini, Gabriel a S. Vincentio, Amicus,* etc. ad eamdem ac supra sexto loco (num. 439) positam explicationem confugiunt, asserentes Christum non in specie determinasse materiam et formam sacramenti Ordinis, sed in genere tantum, h. e. iussisse solum constituere sacros ministros verbis et signis expressivis potestatis, quorum specificam determinationem reliquit Ecclesiae. Ecclesia autem primis saeculis determinavit, ut haec essent manus impositio et oratio, postea vero constituit, ut instrumentorum quoque traditio signum sacramentale esset.

458. - *Resp.* De hac hypothesi potestatis Ecclesiae mutandi signa sacramentalia, quae originem ac probationem aliam non

habet quam assertam necessitatem porrectionis instrumentorum, iam supra aliquid dictum est et sequenti articulo uberius dicetur. Iuvat hic solum afferre quae cum tanta auctoritate scribit Benedictus XIV: « *data* (etiam) *Ecclesiae facultate, ait, « de qua est sermo, gratis omnino et arbitrario fingitur, quod « Ecclesia ea usa fuerit: dicant enim, ubi, quando, quo saeculo, « in quo Concilio, a quo Pontifice facta sit huiusmodi mutatio? « Enimvero si Ecclesia ab ordinationis ritu ea ablegasset, quae « antiquitus fiebant, cogeremur utique affirmare, ordinationis « materiam et formam fuisse Ecclesiae auctoritate mutatas, « novasque antiquis subrogatas. Sed cum omnia quae habentur « in antiquis Ritualibus perseverent intacta, ac sancte et integre « etiam nunc peragantur, nemo facile credet, illa eadem, quae « iampridem satis erant, nunc ad Ordinis sacramentum per- « ficiendum amplius non sufficere* ».[1]

459. - *Conclusio.* Haec sufficiant. Ex tractatis demonstratum manet, Decretum seu Instructionem Eugenii IV pro Armenis vere docere essentialem ritum sacramenti Ordinis esse instrumentorum traditionem ac verba *Accipe potestatem* etc. Quum porro nullo rationabili modo nec alius sensus tribui Decreto possit, nec sensus eius incontestabilis componi cum veritate, ex alia autem parte Decretum, uti monstratum est, infallibili auctoritate non gaudeat, verum, utpote a magisterio ordinario Ecclesiae profectum, reformabile sit, cum omni reverentia plenaque submissione proponere licet, a doctrina illa esse recedendum.

460. - Coronidis causa hic adhuc quaedam commemorare iuvat, quibus facilius intelligitur, quomodo error in Decreto irrepere potuerit. Uti ex actis Concilii Florentini apparet,[2] per annum integrum Ferrariae, deinde per quatuor menses Florentiae omnia capita divisionis aut discensionis inter Graecos et Latinos in medium producta atque discussa sunt. De sacramenti vero Ordinis verbum nullum factum est, neque ullus cogitasse videtur circa illud discussionem instituere. Idem prorsus accidit quando, facta unione Graecorum, Armeni venerunt. De

[1] *De Syn. dioec. lib. 8, cap. 10, num. 10.*

[2] Labbe-Collet *Conc. tom. 18, col. 534.*

omni re inquisitio instituta est, de sacramento Ordinis sermo nullus. Hinc admodum verosimile est, Papam Eugenium de materia et forma Sacramentorum, ideoque etiam sacramenti Ordinis ad Armenos locutum esse, sicut ipsius aetate doctores in scholis communiter de eis loquebantur et sicut de eis loquebatur S. Thomas in Opusculo de Sacramentis, quin ullum speciale studium circa essentiam sacramenti Ordinis praecesserit.

2. - De Ecclesiae potestate in Sacramentorum substantialia.

461. - Auctores non pauci, uti etiam ex dictis praecedentis articuli (cf. n. 439 et 456) videre est, ad solvendas gravissimas, quibus ob Instructionem Eugenianam sese involutos vident difficultates, asserunt, Christum *in genere* tantum instituisse sacramentum Ordinis, Ecclesiae vero potestatem fecisse, materiam eius ac formam *in specie* determinandi. Secundum ipsos Christus Dominus statuisset solummodo, sacerdotalem potestatem aliquo apto signo expressivo potestatis esse conferendum; Ecclesiae vero curam ac potestatem reliquisset statuendi hoc aptum signum specificum atque mutandi prout opportunius ipsi videretur.

462. - Hac ratione, dicunt, commode explicatur cur signum sacramentale Ordinis diversum sit in ecclesia Occidentali ac Orientali. In hac scilicet, vi facultatis a Domino concessae, Ecclesia assumpsisset ut signum specificum impositionem manuum cum invocatione Spiritus Sancti; in illa vero traditionem instrumentorum cum formula imperativa *Accipe potestatem,* etc. Similiter facili ratione sic intelligitur cur antiquitus in Occidente sacer ordo sola manuum impositione collatus fuerit, nunc vero conferri nequeat sine instrumentorum traditione. Ecclesia scilicet, potestate utens sibi a Christo data, labentibus saeculis statuisset, traditionem panis ac vini etiam esse necessariam.

463. - Atvero, pace tot tantorumque auctorum dixerim, tam immodica potestas Ecclesiae a Christo Domino tradita nuda

assertione admitti non potest. Huiusmodi facultas deberet probari claris ac irrecusabilibus testimoniis Sacrae Scripturae et sacrae traditionis, eo vel magis, quod, ut mox videbimus, fortissima argumenta oppositum evincunt. Difficultates, quae ex Decreto Eugenii IV illis auctoribus oriuntur atque alia ratione solvuntur, probationes non sunt.

Ex hisce apparet, utilissimum esse atque ad illustrandam praesentem quaestionem aptissimum, adoriri hic quaestionem de potestate Ecclesiae in Sacramenta.

464. - Ecclesiam plenam potestatem habere a Christo circa accidentalia Sacramentorum, eaque proinde mutare posse, nemo est qui dubitet. Quaestio est quid valeat Ecclesia circa Sacramentorum substantialia, circa materiam et formam, circa ipsum sacramentale gratiae signum, et praecipue circa materiam et formam sacramenti Ordinis. Quaeritur, utrum Ecclesia possit immutare materiam et formam Sacramentorum, seu, quod idem est, utrum possit sive signo sacramentali aliud signum sufficere, sive ei aliquid subtrahere aut adiungere, ita ut signo quo antea gratia conferebatur, iam non amplius communicetur.

465. - Certum est, immo dogma catholicae fidei, Sacramenta Ecclesiae ab ipso Domino nostro Iesu Christo fuisse instituta, eumque proinde speciali omnino modo habere Auctorem. « *Si* « *quis dixerit,* ita Concilium Tridentinum, *Sacramenta novae* « *legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino Nostro insti-* « *tuta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet... ana-* « *thema sit* ».[1] Quo canone dogmatico, licet non sit *explicite* et *formaliter* de fide definitum, Christum *immediate* ac *per se* omnia Sacramenta instituisse, evidenter tamen statuitur, ea non eo modo ab Ipso derivari quo alia instituta, quae potestate a Christo accepta introducuntur et mutantur ab Ecclesia, sed *directe quodammodo* ab Ipso venire ac instituta esse, et speciali quodam vero et reali modo Christum ipsum habere auctorem. Voluit namque Tridentinum contra haereticos definire, Ecclesiam nullum unquam introduxisse Sacramentum, sed omnia

[1] *Sess. 7, can. 1, de Sacr.*

Sacramenta, quae in Ecclesia existebant et ministrabantur, ab ipso Christo venire.[1]

466. - Hinc fuerunt qui assererent, Christum Dominum in *specie infima*, *ἐν ἀτόμῳ* seu usque ad ultimas individuationes omnium ac singulorum Sacramentorum materias et formas determinasse. Quae tamen sententia a paucis propugnata valide sustineri non potest. In institutione a Christo facta latitudo quaedam admitti licet.

467. - Alii e contra contendunt, Christum plurium Sacramentorum materiam et formam *in genere* tantum determinasse. Indicasset videlicet eorum effectum (puta sacramenti Ordinis), sed Ecclesiae fecisset potestatem assumendi aliquod signum aptum ad effectum Sacramenti significandum, illudque etiam iustis de causis mutandi. « *Ratio unica huius sententiae,* ait « merito Sanctus Alphonsus, *est diversitas ecclesiae Graecae « et Latinae in administratione aliorum Sacramentorum, prae- « sertim in Ordine. In ecclesia enim Graeca presbyteratus et « diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem ; in « Latina vero praeter manuum impositionem requiritur traditio « rerum* ».[2]

468. - Alii demum communius atque probabilius docent, Christum Dominum omnium Sacramentorum materias et quoad substantiam etiam formas in specie determinasse. Ita S. Alphonsus cum S. Thoma, « *qui non potest negari,* ait zelantissimus « Doctor, *esse pro hac sententia ; siquidem hanc tradit ratio- « nem*: quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei « sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere « res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina insti- « tutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novae legis, « quibus homines sanctificantur, secundum illud I *Cor.*, 6, 11: « *Abluti estis ... sanctificati estis,* oportet uti rebus ex divina

[1] Notum est, Concilium Tridentinum noluisse dicere, omnia Sacramenta immediate a Christo instituta esse, ne directe condemnaret veteres quosdam scholasticos, ut Hugon. a S. Victore, Magistrum Sententiarum, Alex. Alens., S. Bonav., qui erronee censuerunt, aliqua Sacramenta postea ab Apostolis vel ab Ecclesia, inspirante Spiritu Sancto, esse introducta.

[2] *Theol. Mor., lib. 6, n. 12.*

« institutione determinatis ».[1] *Nec S. Doctor explicari potest de « determinatione in genere, quae possit per diversa signa signi- « ficari; nam*[2] *expresse docet oppositum dicens:* Etsi idem « potest per diversa signa significari (*en qualis esset determi- « natio in genere*), determinare tamen quo signo sit utendum « (*en determinatio in specie*), pertinet ad significantem; Deus « autem est qui nobis significat spiritualia ».[3]

469. - Quidquid est de hisce diversis opinionibus, certum est, dogma Tridentinum omnino requirere ut dicatur, Sacramenta (quodemumcumque modo a Christo instituta, sive ipse per se, sive per apostolos suos omnia in specie determinaverit) semel constituta nulli amplius subiacere humanae potestati, neque proinde ulli obesse posse mutationi substantiali. Tridentinum enim Concilium definire non potuisset, septem Sacramenta sicuti in Ecclesia existebant, Christum ipsum habere auctorem, si aliqua humana potestas ea unquam sive in substantialibus mutasset sive immutare potuisset. In primo enim casu Sacramentum illud immutatum iam dici non posset a Christo institutum. Esset institutum ab Ecclesia, potestate a Christo recepta. Sicut e. g. benedictio Ecclesiae, licet instituta sit potestate a Christo accepta, dici non potest sensu canonis Tridentini institutio a Christo facta, ita nec Sacramentum illud dici posset, sensu a Tridentino intento, a Domino Christo institutum. In secundo casu Tridentinum Concilium primum debuisset probare, mutationem huiusmodi numquam revera factam esse. Ex dogmate itaque Tridentino necessario sequitur, signa sacramentalia esse ab ipso Christo, ea esse immutabilia et immutata permansisse in Ecclesia. « *Illa quae aguntur in Sacramentis,* dicit Ange- « licus Doctor, *per homines instituta, non sunt de necessitate « Sacramenti, sed ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur « Sacramentis ... ea vero quae sunt de necessitate Sacramenti « ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo* ».[4]

[1] *3ª pars, qu. 60, art. 5.*
[2] *L. c. ad 1.*
[3] *L. c.*
[4] *Pars 3, qu. 64, art. 2, ad 1.*

470. - Quod autem in specie attinet ad sacramentum Ordinis, Scriptura Sacra tam perspicue ac frequenter eius materiam tradit, ut dici non possit hanc non fuisse a Domino in specie determinatam. Forma quoque, licet non ita in specie infima, seu *ἐν ἀτόμῳ*, indicata sit in Scriptura, determinata tamen invenitur eo sensu quod est oratio seu invocatio Spiritus Sancti. Conferantur quae supra n. 110-116 dicta sunt. « *Dicere,* ita « rectissime animadvertit Arcudius, *materiam huius Sacra-* « *menti non esse determinatam, quod quibusdam viris doctis* « *visum est, aliquam haberet probabilitatem si divinae litte-* « *rae de ea non loquerentur; sed nihil frequentius et usitatius* « *cum in sacris paginis, tum conciliis et doctoribus hac caere-* « *monia, ubi de hoc Sacramento incidit sermo. Unde si nolumus* « *negare sacramentum Ordinis in ecclesia Latina ... necesse est* « *pro materia huius Sacramenti solam impositionem manuum* « *assignare. Hanc enim solam Apostoli, Concilia et plerique* « *Patres commemorant* ». [1]

471. - 2°. Eadem veritas, scilicet Ecclesiae non competere potestatem in materiam et formam Sacramentorum, deducitur ex unitate atque immutabilitate Ecclesiae. Societas religiosa, a Christo fundata, tria habet fundamenta sive elementa constitutiva: *regimen, fidem* et *cultum.* Sed si fundamenta et ea quae structuram efficiunt Ecclesiae mutari possent, ipsius Ecclesiae unitas et structura pessumdaretur. Unde necessario dicendum: sicut Christus stabilivit regimen Ecclesiae semper et ubique et immutabiliter servandum; sicut docuit fidem, semper et ubique et immutabiliter tenendam; ita quoque statuit cultum (Sacrificium et Sacramenta), semper et ubique et immutabiliter Deo exhibendum. « *Primo itaque tenere te volo,* inquit S. Augusti- « nus, *Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Evan-* « *gelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse et sarcinae levi* « (*Matth.,* 11, 30). *Unde Sacramentis numero paucissimis, obser-* « *vatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem* « *novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine*

[1] *De Concordia eccl. Occid. et Orient., lib. 6, cap. 7.*

« *consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si* « *quid aliud in scripturis canonicis commendatur.* » [1]

472. - Itaque Ecclesia non potest mutare Sacramentorum numerum vel substantiam. Sicut non potest mutare regimen a Christo stabilitum, fidem a Christo traditam, ita neque Sacramenta a Christo instituta. « *Dicendum,* ait S. Thomas, *quod* « *apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad* « *regimen Ecclesiae, constitutae per fidem et fidei Sacramenta.* « *Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam: ita non* « *licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia Sacra-* « *menta* ». [2] « *Sicut Christus,* inquit Suarez, *unam instituit* « *Ecclesiam, ita unam tantum fecit Sacramentorum institutio-* « *nem, quae universae Ecclesiae inserviret, et ideo dixit Paulus,* « *in hac Ecclesia esse unum Deum, unam fidem, unum bapti-* « *sma. Quis enim fingat instituisse Christum unum ritum* « *Baptismi vel Eucharistiae pro Graecis et alium pro Latinis?* « *Hoc sane alienum est ab omni ratione et ab omni Ecclesiae* « *sensu, ut ex Concilio Florentino satis constat: alioquin ...* « *certe dici posset, diversis temporibus posse variari Sacramen-* « *torum essentias, ita ut quod nunc sufficit antea non fuerit* « *sufficiens, vel e contrario quia non est maior ratio de diversis* « *locis quam de diversis temporibus ..... Esset autem absurdis-* « *simum dicere, Sacramenta ex Christi institutione essentialiter* « *variari pro temporum diversitate: quia neque ista multiplex* « *institutio Christi a principio facta fuit, aut nobis tradita, nec* « *postea aliquo tempore per specialem revelationem manifesta* « *est: una est ergo institutio, quae immutabilis perseverat omni* « *tempore: eadem ergo est universalis pro omnibus locis* ». [3]

473. - 3° A posteriori quoque atque valido argumento probatur, Ecclesiam non habere potestatem mutandi essentialia Sacramentorum. Etenim, si Christus Ecclesiae suae huiusmodi potestatem contulisset, haec aliquando saltem potestate illa usa esset, secus enim prorsus inutilis fuisset. Quumque agatur

[1] *Epist. 54 (alias 118), cap. 1. Migne, P. L. tom. 33, col. 200.*

[2] *Pars 3, qu. 64, art. 2 ad 3.* - Cfr. *qu. 72, art. 1, corp.*

[3] *In 3, qu. 60, disp. 2, sect. 6.*

de facultate tam extraordinaria, certo certius de usu eiusdem historice constaret. - Insuper, si revera Ecclesia talem potestatem accepisset, non solum potuisset, verum etiam *debuisset* quandoque ea uti atque mutare substantiam Sacramentorum. Hoc officium ursisset e. g. quando a manibus sacrilegorum haereticorum vel schismaticorum eripienda erant sacrosancta Sacramenta (puta Eucharistiae, Ordinis), quibus schisma vel haeresis fulciebatur et perpetuebatur. Sed Ecclesia numquam hoc fecit. Quum autem nefas sit asserere, ipsam defuisse officio suo, dicamus oportet, eam huiusmodi potestatem sibi non agnoscere.

474. - 4° Quodque revera Ecclesia hanc in se potestatem non agnoscit, solemniter declaravit, protestans se in substantialia Sacramentorum facultatem nullam habere. « *Declarat* « (sacra synodus Tridentina) *hanc potestatem perpetuo in Eccle-* « *sia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione,* SALVA ILLORUM « SUBSTANTIA, *ea statueret vel mutaret, quae suscipientium uti-* « *litati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum,* « *temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret* ».[1] Ubi autem Ecclesia ipsa declarat, se circa solam administrationem et venerationem Sacramentorum statuere posse, eorum vero substantiam tangere non posse, profecto temerarium est asserere, Ecclesiam potestatem habere mutandi materiam et formam Sacramentorum.

475. - 5° Demum ex absurdis consequentiis idem ostenditur. Si enim Ecclesia potestatem haberet circa essentialia Sacramentorum, sequeretur eam statuere posse, ut in uno loco Sacramentum aliquod validum non esset nisi cum hac illave materia et forma, quae tamen in alio loco ad validitatem non requirerentur. Et idem valeret pro diversis temporibus, quum locorum et temporum eadem sit ratio. Illatio, quae multa alia absurda secum trahit, recusari non potest. A paucis tamen expresse admittitur. Non abs re erit unum saltem allegare. Cl. Billuart ita scribit: « *Graecus ordinatus ritu Latinorum aut Latinus*

[1] *Sess. 21, cap. 2.*

« *ritu Graecorum, sine dispensatione Summi Pontificis, inva-* « *lide ordinaretur* ».[1] Sed rogare vellem, cur Graecus latino ritu ordinatus (et Latinus graeco ritu) sacerdos non esset? An quia deest minister idoneus? Sed minister Ordinis est episcopus, qui supponitur adesse cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. - An quia subiectum capax non est eo quod Graecus est natione? Sed perpetua praxis et traditio Ecclesiae docet, in subiecto ad valide recipiendum Ordinem non requiri nisi ut sit mas, baptizatus, habens intentionem suscipiendi Ordinem. - An quia validus non esset ritus latinus? Sed hoc est de fide, dicente Concilio Tridentino: « *Si quis dixerit per sacram* « *Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ..... aut per eam* « *non imprimi characterem ..... a. s.* ».[2] - An quia Episcopus Graecus adhiberet ritum latinum? Sed notum est hoc graviter quidem vetitum esse ab Ecclesia, validitatem tamen actionum non afficere. Neque intelligitur, quomodo Sacramentum, per se nullum, validum fieri possit dispensatione Pontificis.

476. - Itaque necessario dicendum est, Sacramenta esse immutabilia sicut omnia a Christo instituta.

Quod igitur unquam essentiale fuit alicui Sacramento, hoc semper fuit essentiale, et quod non semper fuit essentiale, hoc numquam fuit. Quod sufficit in uno loco sufficit ubique; quod sufficit in una aetate sufficit in omnibus. Quum ergo temporibus apostolicis sola manus impositio et oratio fuit essentialis sacramento Ordinis, haec etiam nunc sola essentialis est. Quum per decem priora saecula in ecclesia Latina Ordo sine instrumentorum traditione ministratus est, etiam nunc sine ipsa valide confertur. Et quum in Oriente sola manus impositione sacra potestas communicatur, etiam in Occidente valide sic ministratur. « *Ecclesia,* inquit cum communi Theologorum sen- « tentia Adrianus IV contra Innocentium IV eumque sequentes « aliquos Canonistas, *Ecclesia non posset novam formam Bapti-* « *smi aut alterius sacramenti instituere, aut institutam quovis* « *modo mutare. Patet, quia ut solius Dei est animam a labe*

[1] *De sacr. Ord. diss. 1, art. 3.*

[2] *Sess. 23, can. 4.*

« *peccati emundare iuxta illud Isaiae ..... ita solus quae mini-*
« *sterialiter sanctificant animam potest instituere. Unde noverit*
« *se Ecclesia non esse dominam Sacramentorum sed ministram,*
« *nec posse magis formam aliquam sacramentalem destituere*
« *aut novam instituere quam legem aliquam divinam abolere,*
« *vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere vel novum*
« *aliquem articulum fidei instituere* ».[1]

3. - CONCLUSIONES.

477. - Iam dulce est fructus laboris colligere.

Constat itaque, ut vidimus, in Sacra Scriptura, quae secundum Concilium Tridentinum ritus essentiales ordinationis tam sacerdotis quam diaconi gravissimis verbis docet, nullum aliud illorum ordinum signum sacramentale inveniri quam manuum impositionem et orationem.

Constat, Patres omnes tam Orientalis quam Occidentalis ecclesiae, necnon Romanos Pontifices, etsi saepe ac ample locuti sunt de sacramento Ordinis eiusque ritu, numquam aliam materiam et formam commemorasse quam manuum impositionem et orationem, et nullo unquam vel levissimo verbo aliam caeremoniam essentialem indigitasse.

Constat, Concilia, inde ab initio in Ecclesia habita, per omnes sibi succedentes aetates semper docuisse, episcopos, sacerdotes, diaconos manuum impositione ac deprecatione ordinari et ordinari debere; numquam aliud signum sacramentale pro his ordinibus insinuasse ac non semel traditionem instrumentorum exclusisse.

478. - Constat, universam ecclesiam Orientalem in quatuor suis diversis ritibus, praeter manuum impositionem et Spiritus Sancti invocationem, nullum unquam aliud signum sacramentale agnovisse aut adhibuisse; in sola vero ecclesia Armena saeculo XII, mutuatam ab ecclesia Latina, introductam esse

[1] *Qq. de Sacr. in 4 de Bapt. art. 3, p. 2, § Ad videndum.*

caeremoniam porrectionis instrumentorum, non iam ut locum teneret impositionis manus, quae sola permanebat signum sacramentale, sed ut potestas hac impositione tradita magis explicaretur.

Constat, Ecclesiam nihilominus ordinationes ecclesiae Orientalis validas semper habuisse atque habere, ac ordinatos sine instrumentorum traditione veros diaconos, presbyteros, episcopos reputare.

479. - Constat, universam ecclesiam Occidentalem inde ab incunabulis per multa saecula sacramentum Ordinis sola manuum impositione et Spiritus Sancti invocatione sine ulla instrumentorum traditione contulisse.

Constat, ecclesiam Occidentalem hoc signum sacramentale nunquam destituisse, suppressisse, elisisse aut mutasse, sed integrum semper ac intactum in omnibus suis partibus conservasse; illi vero post longum lapsum saeculorum adiecisse in ordinatione diaconi traditionem libri Evangeliorum cum verbis *Accipe potestatem legendi Evangelium,* etc.; in ordinatione sacerdotis porrectionem calicis et patenae cum vino et hostia et verbis *Accipe potestatem offerre,* etc., et in fine novam impositionem manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata,* etc.; in ordinatione episcopi (necnon diaconi) verba *Accipe Spiritum Sanctum.*

Constat, hasce additiones introductas esse nullo imperante Concilio, nullo praecipiente vel decernente Pontifice, sed sicut alias caeremonias solo usu, ab una ad aliam ecclesiam progressu temporis sensim sine sensu se diffundente.

Constat, additiones illas factas esse non ad substituendam aliam materiam et formam impositioni manus, sed huic fuisse adiectas ad maiorem solemnitatem, ad magis explicandas et vividius repraesentandas sublimes potestates per sacram Ordinationem collatas.

480. - Constat, Ecclesiam illas additiones nunquam assumpsisse aut declarasse signum sacramentale Ordinis aut eius partem, et speciatim Eugenium IV in decreto pro Armenis nihil definire intendisse, aut aliquid statuere voluisse infallibili aucto-

ritate circa essentiam sacramenti Ordinis; verum solummodo auctoritate sua ordinaria doctrinam tradidisse, quam illa aetate communius doctores profitebantur.

481. - Verum quidem est errorem, qui in traditione instrumentorum partem saltem, eamque principalem, essentiae sacramenti Ordinis reponebat, aliquando admodum communem fuisse, et multorum etiam summi nominis theologorum mentes illaqueasse; attamen constat quoque, errorem illum universalem et unanimem numquam fuisse; sed omni aetate plures auctores spectatae scientiae avitam veritatem tradidisse ac defendisse.

Atque hic etiam notare iuvat errorem illum singulorum tantum fuisse auctorum, nunquam vero doctrinam alicuius scholae in Ecclesia: omni aetate ex omni schola plures diversas opiniones propugnaverunt, ut supra videre est.

482. - Quum itaque Ecclesia universa tam Orientalis quam Occidentalis ab initio ad nostra usque tempora semper sacramentum Ordinis manus impositione ac oratione administraverit, cum S. Augustino dicere licet: « *Quod universa tenet Ecclesia,* « *nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi* « *auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* »[1] et concludere proinde fas est: IN HAC SOLA MANUS IMPOSITIONE ET ORATIONE SIGNUM SACRAMENTALE ORDINIS, A CHRISTO INSTITUTUM ET APOSTOLICA AUCTORITATE TRADITUM, CERTISSIME INVENIRI; reliqua vera omnia Ecclesiae auctoritate ad maiorem solemnitatem esse introducta.

[1] *De Bapt. contra Donatistas lib. 4, cap. 24,* Migne P. L. *tom. 43, col. 174.*

INDEX

PAG.

INTRODUCTIO 5

PARS PRIMA.

Variae opiniones circa essentiam sacrae Ordinationis. . 9

1ª Sententia 10
2ª Sententia 27
3ª Sententia 40
4ª Sententia 43
5ª Sententia 49
6ª Sententia 51

PARS SECUNDA.

Inquisitio veritatis. 56

1. – Sacra Scriptura 57
2. – Sancti Patres et Pontifices 61
3. – Concilia 90
4. – Libri Rituales 95
A) – Libri Rituales Orientalis Ecclesiae. 97
a) – Ritus Graecus 97
b) – Ritus Armenus 100
c) – Ritus Syriacus. 108
d) – Ritus Cophticus 111
B) – Libri Rituales Occidentalis Ecclesiae. 113
a) – Sacramentaria 113
b) – Ordines Romani et Pontificalia 121

PAG.

Prosequitur argumentum inquisitionis 134

1. – De introductione et sensu traditionis panis et vini in ordinatione sacerdotis 135
2. – De introductione ultimae impositionis manuum in ordinatione sacerdotis 145
3. – De introductione et sensu traditionis Evangelii in ordinatione diaconi 147
4. – De introductione impositionis manus cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum* in ordinatione diaconi 152
5. – De introductione formulae *Accipe Spiritum Sanctum* in ordinatione Episcopi 153

PARS TERTIA.

Difficultates et conclusiones 154

1. – De Decreto Eugenii IV pro Armenis 155
Quaestio prima: Quid docet Papa Eugenius de essentia sacramenti Ordinis 157
Quaestio secunda: Quali auctoritate docet Papa Eugenius . 162
Quaestio tertia: Licetne a doctrina de Sacramentis, speciatim circa essentiam sacramenti Ordinis, ab Eugenio IV in Decreto pro Armenis exposita, recedere atque oppositam sententiam tenere ac propugnare 169
Quaestio quarta: Adsuntne rationes gravissimae, quae vere cogunt a doctrina Eugenii IV recedere. 175
2. – De Ecclesiae potestate in Sacramentorum substantialia . . 187
3. – Conclusiones 195

247.72 Van Rossum, G. M.
AUTHOR
R839 De Essentia Sacrament
TITLE Ordinis.

247.72
R839

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library